




De translationibus quibus usus est Thucydides

SCRIPSIT

JOHANNES FRANCISCUS CORSTENS.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD J. W. VAN LEEUWEN.
(Maarsmanssteeg).
MDCCCXCIV.

Matri carissimae patrisque piae memoriae.

De translationibus quibus usus est Thucydides

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P. A. VAN DER LITH,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT., IN FACULTATE JURIDICA PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM et PHILOSOPHIAE DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI
SUBMITTET

JOHANNES FRANCISCUS CORSTENS,

EX FORO ADRIANI,

DIE XVII MENSIS NOVEMBRIS, A. MDCCCXCIV, HORA III.



LUGDUNI-BATAVORUM.
APUD J. W. VAN LEEUWEN.
(Maarsmanssteeg).
MDCCCXCIV.

DE TRANSLATIONIBUS QUIBUS USUS EST THUCYDIDES.

CONSPECTUS CAPITUM.

Exiguum mihi in Academia vitae curriculum circumscripsit fortuna, sed nulla mihi unquam delebit oblivio annos duo — quam uellem fuissent plures — quos mihi in hac litterarum sede Lugduno Bataua ut degerem concessit inuida sors. — Multa debeo almae matri, multa professoribus. Quotienscunque enim tacite mecum reputo vir clarissime v. LEEUWEN, quo promotore mihi gloriari licet, omnia omnis generis beneficia quae tibi accepta refero, magna afficior laetitia quod tua castra sequi mihi non est denegatum. Ne quid addam tua me impedit modestia, sed hoc tibi persuasum volo, promotor carissime, Tui memoriam animo grato eruet nunquam cuncta deleverit aetas.

Tu quoque uir clarissime LAND optime de me meruisti. Horis iam illis pomeridianis Philosophiae professorem te audiens tuas mihi praelectiones magno sentiebam usui fore, nec unquam — in dies enim sentio magnum te mihi attulisse adiumentum — quantum a Te didicerim me paenitebit.

Tua eruditione ac doctrina, vir clar. HARTMAN, me eguisse valde doleo, at sic etiam voluerunt fata; quam vero humaniter me tractaueris · quanta liberalitate quamque officiosa uoluntate me sis prosecutus mihi semper dulcis memoria grataque erit recordatio. Atque nunc utinam Te quoque paucis mihi affari liceret vir clarissime CORNELISSEN, cuius tot tantaque in me sunt merita ut in

—

parentis loco te colere debeam. — Decem enim amplius annos curator gymnasii Elburgensis mihi praeceptori eam benevolentiam praestitisti, ut quam propenso in me esses animo facile conicerem, et te professorem cum audirem cotidie fere signa haud ambigua dedisti te tibi meam salutem habere commendatam.

At nunc morte praematura exstinctus et beneuolentiae et prudentiae tuae triste mihi desiderium reliquisti. Haec tamen una mihi est consolatio uitae bene actae iam diu iusto te frui praemio. Quo praemio fruaris optime mi magister et in pace requiescas; Tui me non meminisse pigebit dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.

INTRODUCTIO.

De Thucydide multi iam multa scripserunt; numero paene caret magna illa copia librorum libellorumque, quibus aut artificis opus, aut res de qua scripsit aut ipse auctor praebuit argumentum. — Hoc tamen dicere nemo poterit omnia iam esse perpurgata ut nihil tractandum sit reliquum. Sic nemo unquam, quod sciam, egit de translationibus quae apud eum inveniuntur.

Steinius [1]) quidem scripsit de figurarum apud Thucydidem usu. At sunt illa lumina orationis et sententiarum non uero singulorum verborum. Cum autem multas ob causas, quas mox uidebimus, hac de re quaedam disputare et hoc in genere summi uiri opus praeclarum propius cognoscere operae pretium mihi uisum sit, hanc materiam libello conscribendo subieci et ut qui diligentissime sum tractaturus.

Ut autem dicam metaphora quid sit non multis opus est uerbis, *τί γὰρ ἂν τις πᾶν τὸ ἐνὸν ἐκλέγων ἐν εἰδόσι μακρηγοροίη*; — quare quae docuit Quintilianus attulisse sat erit:

1) Dr. Ferdinand Stein: de figurarum apud Thucydidem usu. Beilage zum Programm des Königlichen Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Cöln 1881.

Transfertur nomen aut uerbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum in quo aut proprium deest aut translatum proprio est melius. Id facimus aut quia necesse est, aut quia significantius est, aut quia decentius [1]). Unam tantum quaestionem, ad ipsam translationis naturam quae pertinet, ad obrussam exigere haud alienum a proposito putaui. Haec est.

Legimus apud Aristotelem Rhet. III, 4, *ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά· διαφέρει γὰρ μικρόν· ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα „ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν", εἰκών ἐστιν, ὅταν δὲ „λέων ἐπόρουσεν", μεταφορά.*

Hoc summi uiri enuntiatum, quod quasi totius huius doctrinae fundamentum ponitur, duobus laborare uitiis probare me posse confido.

Num discrimen quod comparationem inter et metaphoram intercedit ex eo pendet sitne posita an omissa particula comparativa? Latius patet id quod naturam utrique communem ita distinguit ut cuique fiat sua et propria.

Utamur exemplo res ut magis illustretur. Si dicimus: „ut medicus uulneribus medetur sic et tempus omnes lenit dolores omnemque pellit aegritudinem" habemus comparationem. Tria enim comparationem iustam quae reddunt, adsunt: terminus a quo, terminus ad quem, mediumque comparationis. — Saepe fit ut non nisi prima duo ponantur ita ut iis qui audiunt diiudicandum relinquatur quid sit medium comparationis: „Medicus uulneribus medetur, tempus omnes lenit dolores." — Tertius comparandi modus hic est: „Medicus uulneribus medetur." — Imago proponitur tantum, omittitur id quod huic imagini simile putatur, quippe quod facile intellegatur. Haec loquendi ratio prouerbiorum atque adagiorum radix atque origo est putanda. Saepe quoque utimur comparatione quadam, quae iure contracta dici pos-

---

1) Quint. VIII, 6, 5.

sit: „Tempus quasi medicus" — vel sic ut, quo melius intellegatur, medium comparationis non absit — „Tempus est quasi medicus, quoscunque lenit dolores."

At hac loquendi ratione si utimur: „Tempus omnes lenit dolores," comparatio adest quidem sed non statim apparet; sine ulla particula comparationem quae indicet et imago et id quod cum ea comparatur in unum contrahitur et habemus metaphoram [1]).

Ex iis igitur quae posuimus satis apparet, credo, Aristotelem errore lapsum esse; nam non metaphorice loquitur qui dicit: λέων ἐπόρουσεν, — nihil enim refert utrum apponatur particula comparatiua necne; est uera comparatio, quae dicitur contracta.

Alterum quod intellego uitium his continetur uerbis: ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά· Haec enim uerba ad id quod recte animadvertit uir doctissimus: εἰκόνας κατὰ τὸ ἀνάλογον formatas esse, qui quadrent non uideo nec quisquam facile uidebit.

Ante omnes audiatur Quintilianus [2]): „In totum autem metaphora breuior est similitudo eoque distat quod illa (εἰκών) comparatur rei, quam uolumus exprimere, haec (metaphora) pro ipsa re dicitur."

Aeque dilucida Ciceronis est expositio, quae legitur, — de Orat. III, 39, 157, — (translatio) similitudinis est ad uerbum unum contracta breuitas.

In hoc enim sunt omnia: unde profecta est translatio, unde metaphora traxit originem?

Tertius ille modus transferendi uerbi, inquit Cicero [3]), late patet, quem necessitas genuit inopia coacta et angustiis, post

1) Plenius atque uberius hanc rem tractat uir doctissimus Blümmer: Ueber Gleichniss und Metapher in der Attischen Komödie pag. XIV—XV.

2) Quint VIII, 6, 8.

3) De Orat. III, 38, 155.

autem iucunditas delectatioque celebrauit. Nam ut uestis frigoris depellendi causa reperta primo post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic uerbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis.

Primis temporibus haud ita magna uerborum copia praesto erat ut omnia suo nomine proprio notari possent; necessitas igitur homines adduxit ut nouis rebus noua imponerent nomina. Non noua excuderunt — quod si factum esset, et in dies difficultates essent auctae neque ullus unquam apparuisset sermonis ornatus — sed cum uiderent inesse rebus nouis similitudinem quandam cum notis, tacita comparatione facta harum nomina propria in illa noua transtulerunt. Recte igitur scripsit Muetzell[1]: Plenus est omnis omnium hominum et doctorum et indoctorum sermo iis uocabulis, quae cum in sua quaeque re propria sint, propter similitudinem quandam siue ob aliam quamlibet causam in alias res transferuntur.

His omnibus rite perpensis hoc statuendum uidetur: metaphorae non est pars similitudo, immo similitudinis pars est metaphora; nam tacita comparatio est metaphora, cum sine comparatione metaphoram fingere nemo possit.

Forte quispiam dixerit esse quasdam metaphoras, quae quasi in sucum et sanguinem abierint, quibus temere nulla originis habita ratione usi sint scriptores. Non is sum qui negem, sed quid ad rem? Comparatio olim facta est, quique translatione recepta ac constituta sic usi sunt nihil aliud fecerunt ac multi alii, qui nunc cum loquuntur, non cogitent fere singula uerba esse translata. Et multa alia et haec uere scripsit Ioannes Paulus: „Wie im Schreiben Bilderschrift früher war als Buchstabenschrift, so war im Sprechen

---

1) J. Muetzell, de translationum, quae uocantur, apud Curtium usu. Berol. 1843. Progr. gym. Joachimth.

die Metapher das frühere Wort, welches sich erst allmählich zum eigentlichen Ausdruck entfärbte." „Jede Sprache," uerius quam elegantius addit, „ist in Rücksicht geistiger Beziehungen ein Wörterbuch erblasster Metaphern." Et quam uere uiderit Paulus ex iis, quae grammatica comparatiua de originatione [1]) singulorum uocabulorum in lucem protulit, satis superque apparet [2]).

Metaphora quid sit iam uidimus; restat ut plane et aperte dicamus id quod implicite et abscondite iis quae supra diximus continetur.

Varia translationum sunt genera, quae rite ut intellegantur bene sunt distinguenda. Primum ipsum audiamus Ciceronem, qui hac in uia optimus mihi dux esse uidetur. Quod enim — haec eius sunt uerba, quae leguntur de Orat. 3, 38, 155—156 — declarari uix uerbo proprio potest, id translato cum est dictum, illustrat id quod intellegi uolumus, eius rei, quam alieno uerbo posuimus, similitudo. Ergo hae translationes quasi mutuationes sunt, cum quod non habeas aliunde sumas. Illae paulo audaciores, quae non inopiam indicant, sed oratori splendoris aliquid arcessunt. Cfr. Quint. 8, 6, 5 [3]). Omnino igitur duo translationum sunt genera, quorum quaedam, ut mox uiderimus, species distinguuntur.

Ad unum genus referendae sunt translationes simplices quae uocari possunt, ad alterum illae Cicero quas uocat

---

1) Etymologia, quae uerborum originem inquirit, a Cicerone (Top. 2 et 8) dicta est notatio. Sunt qui uim potius intuiti originationem uocent. Quintil. Inst. 1, 6, 28.

2) Plura de hac re inueniuntur apud J. Bauer, Das Bild in der Sprache. Ansbach 1879.

Et apud G. Gerber, Die Sprache als Kunst, 1884, apud Kurt Bruchmann. Psychologische Studien zur Sprachgeschichte, pag. 187.

3) Cfr. Cic. Orat. 27, 94, ad Herenn. 4, 33, Quintil. 10, 1, 12.

audaciores. Singula haec genera in species diuidere licet. Sic ad translationes simplices pertinent multae quae in usum communem adeo abierunt ut non quasi translatis sed tamquam propriis omnes usi sint, velut *βαίνειν*, *πίπτειν*. Alteram speciem conficiunt uerba paulo insolentius dicta siue per *κατάχρησιν*, quam recte Cicero abusionem uocat, velut: hominis uires breues sunt; longum in homine consilium.

Tertiam et hanc subiungimus speciem eorum qui vulgo termini technici dicuntur; uelut *κέρας*: exercitus ala; *πούς*: pes ueli.

Ad eas quas diximus translationes audaciores reuocandae sunt eae, quarum qui utuntur plus minusue sibi sunt conscii; uelut *νοσεῖν*, ubi agitur de animi perturbationibus uel de turbis ac seditionibus in ciuitate; et *ῥάπτειν* moliri uel machinari aliquid. Sunt frequentes hae translationes in sermone uulgari neque eas respuunt poetae.

Huc porro pertinent et ea uerba orationem quae ornant, quibusque scriptores et poetae utuntur ut delectent. Sunt et communia ut: *νυκτὸς ὄμμα* id est luna; *λαμπάδες*: sol et stellae; sunt et cuiusque propria ut: *κρόταφοι Καυκάσου* Aesch. Prom. 718, ubi de partibus superioribus montis uelut de temporibus humani capitis est cogitandum; et *γλῶσσαν ἐν τύχᾳ νέμων* Aesch. Ag. 663 linguam fideliter gubernans in mari fortunae.

Omnium tamen pulcherrimae illae sunt translationes quae ad tertiam huius generis speciem sunt referendae. Sublimes uoco suntque rarae dictiones quae grandiore paene spiritu inflatae uidentur; uelut *πετραία δ' ἀγκάλη*[1]) *σε βαστάσει* Aesch. Prom. 1018 et *κροκοβαφὴς σταγών* i. e. sanguis. Huiuscemodi translationibus utuntur poetae et oratores altius cum assurgunt et diuino spiritu quasi sunt concitati.

1) Cfr. Cho. 586, Aristoph. Ranae 704.

Nunc paucis uideamus ad quid sit utilis metaphorarum inuestigatio et quare acriter saepe viri docti [1]) ad huiusmodi labores suscipiendos nos cohortentur. Haec investigatio non solum multum habet delectationis sed etiam mirum quid ualet ad artem sermonis uelut architectonicam digne dilucideque percipiendam. Ad uerba Ioannis Pauli quae supra laudauimus Schwartzius [2]) recte annotat: „inuenitur in unaquaque lingua metaphorarum copia fere infinita; namque praeter eas, quas quisque facile intellegit, multa uocabula, quae primo obtutu significationem suam principalem prorsus retinuisse uidentur, dummodo eorum stirpem et principia indagemus, et ipsa antiquitus a re simili petita cognoscuntur." Metaphorae sunt quasi columina quibus totum humani sermonis nititur aedificium, et quibus posteriores usi sunt translationes fructus putandi sunt arborum, quarum semina primaeuis temporibus sunt sparsa. At, ut translationum originem ac progressionem rite persequamur, totius certe materiae conquisitione et dispositione diligentissima opus est, ut quam maxima nobis praesto sit copia. Quare bene fecit uir doctissimus Blümmer [3]) quod hoc sibi proposuit et ex parte iam perficere coepit omnes omnium scriptorum Graecorum conferre translationes, lapides ut sint quibus totum metaphorarum aedificium exstrui possit.

Alter huius inuestigationis fructus hic est. Metaphorae accurate exploratae non parum proficiunt ad singulorum locorum interpretationem, nec minus artem, critica quae dicitur, ualde iuuant. Saepius enim metaphora, quae alio loco obscurior uel

---

1) Brinkmann, Die Metaphern, Studien über den Geist der modernen Sprachen. Bonn, 1878.

2) E. Schwartz, De Metaphoris e mari et re nauali petitis quaestiones Euripideae. Dissert. Inaug. Kiliae 1878.

3) Blümmer libro, quem supra laudauimus et in nouis annalibus 1891, pag. 9 seqq.: Die Metapher bei Herodotos.

audacior esse uideatur, simili metaphora alius loci comparata optime et explicatur et contra criticorum dubitationes offensionesque facile defenditur, cum rursus eam translationem, quam ab usu scriptoris aut linguae indole alienam esse cognouerimus, addubitemus aut si fieri possit emendare conemur.

Tertium denique fructum neque eum minimum, qui hac in re percipi potest, hunc esse credo; translationum usum diligentissime dum perscrutamur multo melius atque accuratius perspicimus ingenium, mores, cultum humanitatemque unius cuiusque populi per totam eius rerum memoriam et quae ipsius scriptoris sit indoles intellegere eiusque ingenium rectius aestimare possumus. Ut enim Romani, qui rebus potissimum bellicis ac forensibus studebant, ex harum rerum ambitu praesertim imagines et metaphòras depromere solebant, sic Graecos, quippe qui rei naualis studio uires absumerent, ex hoc fonte praecipue suas translationes suasque imagines hausisse facili negotio ex eorum scriptoribus potest intellegi. At si unquam, hac in re praesertim summa opus est prudentia, ne specie decepti plus quam uidemus uidere nos arbitremur. Scripsit quidem Aristoteles [1]): Πολὺ δὲ *μέγιστον τὸ μεταφορικὸν εἶναι· μόνον γὰρ τοῦτο οὔτε παρ' ἄλλου ἔστι λαβεῖν εὐφυίας τε σημεῖόν ἐστιν*; sed bene mihi distinguendum uidetur. Nimis ad uiuum resecat, ni fallor, Schmeierus [2]) haec cum scribit: „quin ex ipsis uerbis, quibus quisque utitur, saepe quo quis ordine sit et genere possumus agnoscere. Et recte. Maiorem enim uiuacitatem, ut exemplo utar, uenatoris inesse sermoni, pauperiorem inueniri piscatoris ex utriusque occupatione cotidiana et utrique propria apparet" [3]).

---

1) Poet. 22, 9.

2) B. Schmeier, de translationibus ab homine petitis apud Aeschylum et Pindarum commentatio. Dissert. Inaug. Regimonti Prussorum 1883.

3) Cfr. illud quod Socrati datur prouerbium: *οἷος ὁ λόγος τοιοῦτός ἐστι καὶ ὁ τρόπος· ἀνδρὸς γὰρ χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.*

Non de quouis, credo, scriptore Aristoteles haec scripsit, sed de eo, qui nulla re impeditus suum tantum sequitur iudicium; non de eo, qui imitatur exemplum, sed qui ipse ingenii sui ui aliis exemplum imitandum proponit. Eiusmodi scriptor is est cuius in uerbis ut in speculis cernitur natura. Quare cum iis non facio qui dicunt Euripidem multas imagines a mari petiisse quod maris esset accola. *Φασὶ δὲ αὐτὸν ἐν Σαλαμῖνι σπήλαιον κατασκευάσαντα ἀναπνοὴν ἔχον εἰς τήν θάλασσαν ἐκεῖσε διημερεύειν φεύγοντα τὸν ὄχλον· ὅθεν καὶ ἐκ θαλάσσης λαμβάνει τὰς πλείους τῶν ὁμοιωσέων* [1]). Num ad mare si non habitasset Euripides his translationibus non esset usus? Immo Atheniensis cum esset fieri non poterat quin mare ac naues omniaque ad ea quae pertineant eum adducerent ab iis suas ut sumeret comparationes et metaphoras. Non ipsius Euripidis ingenium sed totius populi cuius erat indoles ac natura has in scriptis progenuit imagines et metaphoras, quibus omnes ad unum in sermone cotidiano uti quasi cogebantur.

Sic etiam opinio praeiudicata saepe obfuit quin de natura atque ingenio Thucydidis iustum ferretur iudicium.

Quot diuersas olim multi neque ii rei ignari de summo uiro eiusque opere, summo artificio perfecto, protulerunt sententias! Magna profecto laus est quae a Cicerone ei tribuitur: „Thucydides [2]) omnes dicendi artificio mea sententia facile uicit, qui ita creber est rerum frequentia, ut uerborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis est aptus et pressus, ut nescias utrum res oratione an uerba sententiis illustrentur." At Dionysii Halicarnassensis iudicium de Thucydide qui legit, uno quasi aspectu intuetur quam uehementer carpat ac perstringat

---

1) Uita Eurip. ed. Nauck. vs. 61.

2) Cic. de Orat. II, 13, 56. Cfr. 93 et Brut. 29, 287.

scriptorem; passim enim in hoc opusculo culpatur et uituperatur Thucydides. Quid memorem Reiskium, Popponem, Krügerum multosque alios, quorum nomina enumerauit Steinius?[1])

Hórum omnium iudicia inter sese ualde discrepant. Qui fit? Aut temere laudant aut nimis uituperant. Rem diiudicaturus non singulas operis partes sed totum exactissimo iudicio examinare debet. Ex suo tempore non uero ex nostro Thucydides est iudicandus. A sophistis, qui tunc erant aliquo in numero atque honore, multa mutuatus est et mutuari cogebatur. Quod enim dicendi genus, Gorgiae dico, ualde delectabat ab eo impune non erat recedendum. Steinius rem acu tetigit, ni fallor, haec scribens: „multa Thucydidis sublimi genere dicendi indigna sunt, sed.... pro probato sumendum est eum.... ab indole sua et natura recessisse ut prauis iudiciis satisfaceret aequalium." Hoc iudicium praecipue ualet de orationibus quas interposuit. Ad uerbum quidem non rettulit a sententiis uero ac forma non recessit; quare quamuis ab omni fuco abhorrens inuitus dedit ipse quae non probaret. Quidquid enim hac in re peccauit, non id egit ut placeret et delectaret sed ne displiceret neue sententia neglecta forma quam uellent repudiaretur. Non personae sed temporum sunt uitia si quaedam culpanda uidentur. Profecto enim Thucydides si posterius fuisset multo maturior fuisset et mitior[2]). At quid plura? Ipsum opus suum testatur auctorem.

Ueram historiam cum scribere uelit quam diligentissime in proposito susceptoque consilio permanet et ne breuissimam quidem declinationem, ad rem quae non faciat, sibi

---

1) F. Stein, libro laudato pag. 5.

2) Cic. Brut. 83, 287 et 288 ubi Thucydidis dicendi genus pulcherrime comparatur uino.

permittit [1]). Non nisi necessitate coactus ea tangit quae putat ad propositum non pertinere, ita ut multi alii et Bernhardy [2]) graviter querantur quod Thucydides silentio praeterierit quae nunc nos nescire dolemus.

Ipse nihil litteris mandat *ἀβασανίστως*. Quare eos perstringit qui famam rerum ante suam aetatem gestarum, et si sint domesticae, sine accurata inquisitione promiscue alii ab aliis accipiant [3]). Quid sit uerum quidque a ueritate sit alienum qui quaerit, ei nullus fugiendus est labor; at [4]) multorum, quos Thucydides imitari non uult, non operosa est ueritatis inuestigatio sed ad ea, quae sunt in promptu, potius se conuertunt. Ueritatis amans non nisi rectae paret rationi; suum esse putat docere non uero delectare. Ita fit ut Homero [5]), quod sit poeta et facile omnia in maius extollat, fidem esse denegandam dicat. Herodotum quoque quasi laudem uenantem tecte carpit et de se ipso dicere putandus est quae facit Periclem [6]) dicentem: „neque indigemus aut Homeri laudibus aut alius cuiusquam, qui in praesens homines delectet quidem, rebus autem gestis conuincatur falsa se cecinisse. Unum semper studet Thucydides, unum quod animo intendit perficere conatur, ut librum componat, qui in perpetuum seruetur non qui in praesens audientium plausum consectetur [7]). Et omnium fere sententiis dici potest ad

---

1) Cfr. Thucyd. 1, 97, 3, *καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμην διὰ τόδε*, sequitur excusatio.

2) G. Bernhardy, Grundriss der Griechischen Litteratur, 2e Bearbeitung, Theil, pag. 399.

3) Thucyd. 1, 20, 1.

4) I, 20 in fine.

5) I, 10, 3.

6) 2, 41, 4.

7) 1, 22, 4.

finem propositum eum peruenisse de eiusque historia ualere, quod ipse de gravissimo illo bello scripsit [1]): uix orta peruenit ad summum [2]). Quae cum ita sint per se patet paucas translationes pauciores imagines apud Thucydidem [3]) inueniri easque quae reuera inueniuntur plerumque non esse quaesitas sed necessarias.

Ex infinita exemplorum copia unum eligamus. Omnes fere scriptores ac poetae saepius utuntur uerbis *νόσος* et *νοσεῖν* ubi agitur de animi morumque uitiis, ut Plato Tim. 86 D, Conu. 207 B; uel de animi perturbationibus ut Soph. Ai. 206, Trach. 541, vel de grauibus reipublicae motibus ut Herod. 5, 28. Xenoph. Anab. 7, 2, 32, Dem. 9, 12, ubi coniuncta inueniuntur *νοσοῦσι καὶ στασιάζουσιν*. Plut. Thes. 12. Pol. 38, 2, 7. At apud Thucydidem eiusmodi translationis nec uola nec uestigium exstat. Ipsam rerum faciem proponere studet lectoribus, fucati medicamenta candoris et ruboris prope omnia repelluntur.

Est ubi poetae ingenium libere uagari possit; ei licet imaginum translationumque regionem habere suam [4]). Sed res non uerba, ueritatem non fucum quaerit historicus noster et haec quidem ieiunitas, haec siccitas, haec inopia cotoroqui polita, urbana atque elegans totidem sunt pignora ueritatis.

---

1) Omnino reicienda uidetur interpretatio, quam protulit Steupius, uerba *καθίστασθαι* et *ἀκμάζειν* hoc loco eandem uim obtinere. Idem ualet *καθίστασθαι* hoc loco quod 1, 73, 3, *ὁ ἀγὼν καταστήσεται*. Et si uerum est quod scripsit uir doctissimus Blümner *καθίστασθαι* dici de omni tumore incipiente, imago inde sumpta esse uidetur.

2) 3, 3, 1.

3) Nulla apud eum inuenitur comparatio; non nisi quater 1, 71, 3; 4, 73, 3; 4, 121, 1; 6, 72, 3; utitur uocula *ὥσπερ* ad indicandam similitudinem,

4) Cfr. Eduard Mueller: Ueber Sophocleische Naturanschauung, Commentatio inserta libello anniuersario Liegnicensi 1842.

Quae postquam in uniuersum disputaui iam sunt facienda uela ut modo litus carpens modo in alto nauigans semper tamen rectum cursum tenens tandem quo tendo perueniam.

At uix ubi solui scopulus iam imminet quem praeteruehi non omnibus, qui eundem cursum tenuerunt, contigisse uidetur. Haec enim statim oritur quaestio quo modo sit digerenda materia. Diuersae diuersorum hac in re occurrunt sententiae. Dispositionem quam protulit uir doctissimus Blümmer quamque nuper secutus est Dronkers, sequi me non posse putaui; non quod eam reprobarem sed quo melius de paucis illis metaphoris, quibus usus est Thucydides, apte et composite disputarem, cum ad singula translationum genera, Blümmer quae distinguit, quae referantur non inueniantur apud Thucydidem. Alium igitur disserendi ordinem sum secuturus. Primum agam de translationibus ab ipso homine petitis ab iisque quae ad uitam pertinent. Tum proferam metaphoras a familia, conuiuiis, uestitu, educatione sumptas. Deinde recensebo eas translationes, quas ab artibus quibus homo uitam sustentat, ab agricultura, uenatione mutuatus est Thucydides; hasque statim sequentur translationes ab animalibus et ab arcu petitae. Porro enumerabo metaphoras quae sumuntur a uia et itinere, a mari et nauigatione atque a mercatura. Disputabo denique de iis quas a ludis et palaestra petiuit auctor noster ut postremum ad uitam publicam me conuertam et in medium proferam translationes, quae ad rem militarem, ad administrationem reipublicae, ad res physicas adque sacra sunt referendae.

Et nunc unum praemonere mihi liceat extremum. Haud dubito an sint qui putent me nimis diligenter quaesiuisse nimisque anxie rimatum esse metaphoras. At in libello scribendo hoc mihi proposui, non ut metaphoras aliquot, quibus usus est Thucydides, summatim exponerem sed ut si minus

omnes certe tamen quam plurimas enumerarem quibus auctoris mores ingeniumque hac quoque in re possent cognosci; cumque pro mea quoque parte aliquid afferre cuperem, quod translationibus describendis prodesse posset, eas etiam mihi recensendas putaui, quae antiquioribus temporibus inuentae aut omnino translationes sciri desitae sint, aut iam fere significationis propriae uice fungi coeperint.

---

§ 1. *Translationes ab ipso homine eiusque corpore petitae.*

Sibi quisque, ut aiunt, natura propior. Quod cum ita sit, fieri non potuit, quin homo ipse sibi semper fons fuerit uberrimus, e quo posset haurire multas translationes.

Incipiamus ab ipso uertice. *ὅπως κατὰ κορυφὴν ἐσβαλοῦσιν ἐς τὴν κατὼ Μακεδονίαν*, 2, 99, 1 [1]). A iugis montium, nam sic uerba interpretanda uidentur, in Macedoniam inferius positam impetum facere parant. Iam ipse Homerus hanc uoculam ab homine in montem transtulit. Il. 2, 456. Thucyd. semel tantum usus est hac metaphora.

Caput corporis totius esse uidetur pars praecipua. Inde nata est translatio huiuscemodi: *λέγοντες ἄλλα τε πολλὰ καὶ κεφάλαιον*, 6, 6, 2, et dicentes alia et haec quae erant grauissima. Cfr. 4, 50, 2. Singulari numero hac in re uti consueuerunt scriptores; semel tantum usus est Thucydides numero plurali: *ἐν κεφαλαίοις*, 6, 87, 1. Ab his paulum discrepant, quae 1, 36, 3 leguntur: *βραχυτάτῳ δ' ἂν κεφαλαίῳ τοῖς τε ξύμπασι καὶ καθ' ἕκαστον, τῷδ' ἂν μὴ προέσθαι ἡμᾶς μάθοιτε.* Sic enim uulgo haec uerba leguntur. Bene fecit quod transposuit Herwerdenus, ita ut uiro doctissimo auctore sic legamus *τοῖς τε ξύμπασι καὶ καθ' ἕκαστον, βραχυτάτῳ δ' ἂν κεφαλαίῳ τῷδε μὴ προέσθαι ἡμᾶς μάθοιτε.* Ut omnia paucis complecta-

---

1) Numeri quibus utor ad indicandos uarios locos sunt ii quibus usus est Herwerdenus.

mur, hinc cognoscere poteritis nos non esse deserendos. Remota est illa nimis otiosa ne dicam absurda oppositio, quam dicunt, post uocem *κεφαλαίῳ* et quo loco Herwerdenus, deleta uocula *ἂν* post *τῷδε*, cetera posuit uerba aptum praebent sensum. Κεφάλαιον hoc loco idem ualet ac „totius summa". Hinc natum est uerbum *κεφαλαιοῦν*. 6, 91, 7 haec leguntur: *πολλὰ παρεὶς τὰ μέγιστα κεφαλαιώσω*, multis omissis quae sunt maxima summatim dicam. Cfr. 3, 67, 7.

Glabri dicuntur *ψιλοί*. Inde orta est translatio peruulgata in milites levis armaturae uel in eos, qui sunt *ἄνευ τῶν ὅπλων* cfr. 7, 45. Uno tantum loco 3, 109, 2 inuenitur *ψιλῶσαι* quod idem ualet ac *μονῶσαι* i. e. *ψιλοὺς τῶν συμμάχων ποιῆσαι*, nudare Ambraciotas sociis. Attici scriptores uerbi *μονῶσαι* non nisi forma actiua utuntur.

Πρόσωπον occurrit 1, 106, 2 *κατὰ πρόσωπον*, in fronte. Dicitur de parte antica loci cuiusdam fere undique lata fossa cincti. Sic etiam legitur *μέτωπον* 3, 21, 3, muri latus intellegitur 2, 90, 4 *ἐπιστρέψαντες τὰς ναῦς μετωπηδὸν ἔπλεον*: aduersis proris nauigabant.

Saepius legitur *στόμα* sensu translato. Στόμα τοῦ ποτάμου 4, 102, 4 *στόμα τοῦ μεγάλου λιμένος* 7, 4, 4 *στόμα τοῦ Ἀμπρακικοῦ κόλπου* 1, 29, 3 et multis aliis locis.

Semel tantum *χεῖλος*, labrum, transfertur 3, 23, 2 *ἐπὶ τοῦ χείλους τῆς τάφρου*, in fossae crepidine.

Legitur terminus technicus, qui dicitur, 7, 34, 5 et 7, 36, 2 *ἐπωτίδες*. Sunt ligna ex utraque prorae parte prominentia, quibus id nomen est inditum, quod aurium speciem prae se ferebant.

Κόλπος, sinus, inuenitur 8, 3, 1 et saepius. Κόλπος est inflexio inter utramque mammam, deinde totum pectus significat et uiri et feminae. Sensum natiuum uocabulum retinuit translatum in sinus maris, qui in terram porriguntur; continentis enim latera sinum efficiunt. Iam apud Ho-

merum haec translatio occurrit. Inuenitur etiam apud Herodotum 4, 99 κόλπος γῆς pars terrae longe in mare porrecta. Νῶτον tergum, non nisi terminus technicus, qui dicitur, occurrit; uelut 3, 107, 3 et 1, 62, 3.

Magnam ubertatem et quasi siluam transferendi praebuerunt manus pedesque. Rite uero, ut multae uariaeque diudicentur huius generis translationes, ad hanc omnes legem sunt reuocandae: manus prehendit, pes offendit, illa uim ac potentiam indicat hic uero spectat ad omne quod impedit et prohibet, illius est dexteritas huius uero uelocitas. Mitto quae leguntur 4, 25, 4 χειρὶ σιδηρᾷ; et aliunde notum est manum hanc ferream fere idem ualere quod harpagonem. Haec potius referre iuuat. Saepissime apud Thucydidem occurrunt haec uerba: ἐν χερσὶ γίγνεσθαι, ἐν χερσὶν εἶναι, ἐς χεῖρας ἰέναι, ἐν χερσίν (comminus 4, 69, 3). Sunt termini technici, quibus in rebus praesertim militaribus saepe utuntur scriptores. Res non est dubia, nil igitur opus est testibus, sed unum alterumue locum sum allaturus, de quo pauca notasse haud ab re esse uidebitur. 5, 72, 3 ἐν χερσὶν ἐγίγνοντο τοῖς ἐναντίοις. Nusquam mihi quamuis diligenter indaganti inuenire contigit locum, qui quod ad datiuum casum attinet his uerbis adiunctum, cum iis, quae supra laudaui conferri posset. Quare nescio an uerba ista otiosa τοῖς ἐναντίοις sint expungenda.

Ἐν χερσὶν εἶναι a consuetudine sermonis non abhorret; paulo uero grauius atque elegantius dicitur de ipsa pugna: καὶ ἦν ἡ μάχη καρτερὰ καὶ ἐν χερσὶ πᾶσα 6, 70, 1; 4, 43, 3.

Ἐς χεῖρας ἰέναι 7, 70, 5 dicitur de classiariis, 1, 52, 3 de proelio nauali, 4, 72, 3 de equitatu.

Uno tantum loco 3, 82, 8 χείρ idem ualet quod βία: ἢ χειρὶ κτώμενοι τὸ κρατεῖν. Et semel quoque (3, 96, 3) saepius tamen apud Herodotum eam uim obtinuit, ut pro δύναμις sit positum uocabulum. Ἐς χεῖρας ἰέναι uulgo significat manus

conserere, sed 8, 50, 3 alio modo est interpretandum; hanc enim uim habet: sui facere potestatem. Cfr. Xenoph. Anab. 1, 2, 26. Διὰ χειρὸς ἔχειν sensu proprio occurrit 2, 76, 4. manu tenere. Hoc uero loco 2, 13, 2 est translatum τά τε τῶν ξυμμάχων διὰ χειρὸς ἔχειν. Sociorum res manu tenere, ut Scholiasta interpretatur, δι' ἐπιμελείας ἵνα μὴ ἀποστῶσιν. Cfr. Aristot. Polit. 5, 7, 3 διὰ χειρῶν ἔχουσι τὴν πολιτείαν.

Uerbo χειρουργεῖν 8, 69, 3 non sine faceta derisione utitur Thucyd. mentione facta adolescentium istorum centum et uiginti, quorum opera atque audacia fidebant quadringenti sicubi aliquid manu erat faciendum. Suo igitur iure scholiasta διαχειρίσασθαί τινα καὶ ἀναιρεῖν interpretari uidetur.

Silentio mihi praetereunda uidentur multa deriuata, quae apud omnes passim inueniuntur; aut enim non sunt translata ut χειροῦσθαι, ὑποχείριον aut per se patent, ut ἐπιχειρεῖν, μεταχειρίζεσθαι. Hoc unum notandum Thucydidem et Herodotum pro μεταχειρίζεσθαι forma huius uerbi actiua uti consueuisse.

Dextra manu, quippe qua homo saepius uti soleat, rectius agit, quae agere conatur. Inde haec orta translatio: 3, 37, 3 δεξιότης, sollertia. Huc addere licet 4, 80, 3 ubi plerique codices dederunt νεότητα. Boehmius καινότητα coniecit, quod non omnino reiciendum uidetur, et Herwerdenus uerum restituisse se putat scribendo σκαιότητα. Quod si recte emendauerit ad hunc locum sine dubio pertinet; oppositum est enim δεξιότητι idemque ualet quod imperitia. Cfr. Soph. Antig. 1028 et Herod. 7, 9. Ἐπιχειρηταί 8, 96, 5 sunt homines prompti ad agendum.

Saepe occurrunt uocabula ἐμποδών 1, 53, 2; 8, 92, 8; 2, 45, 1 et ἐκποδών 1, 40, 3 quae inter sese opposita haec significant, prius esse impedimentum quoddam, posterius uero nullum adesse impedimentum. Unum proferamus exemplum 1, 53, 2 τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται. Qui

uero nemini iam est obstaculo, in eius laude uno omnes ore beneuoli consentiunt.

Κατὰ πόδας 4, 126, 6 oppositum inuenitur aduerbio ἄπωθεν. Κατὰ πόδας 5, 64, 3 et multis aliis locis nonnulli sic interpretari conantur: „terga premere, subsequi". Sed errore lapsi sunt, credo; recte uertunt qui „illico, e uestigio" uertunt. Scholiasta interpretatur ξυντόμως. Cfr. 3, 98, 2; 8, 17, 3. Legitur 3, 97, 1 τὴν δ' ἐν ποσὶν ἀεὶ πειρᾶσθαι αἱρεῖν primum quemque pagum expugnare ut conaretur. Quod alicui est obuium dicitur ἐν ποσίν. Cfr. Herod. 3, 79 et recentiores.

Silentio non praetereunda, quae leguntur 2, 84, 1 ἐν χρῷ ἀεὶ παραπλέοντες. Secundum eam uerbi significationem, qua natum est, antiquiores semper hac loquendi formula usi sunt, uelut ἐν χρῷ κείρειν siue ξυρεῖν. Cfr. Herod. 4, 175, Xenoph. Hell. 1, 7, 8. Crines cute tenus detonsi. Orta est inde dictio, quae prouerbii locum obtinuit: ξυρεῖ ἐν χρῷ. Soph. Ai. 786 idemque ualet atque: ad uiuum resecat. Procedente uero tempore haec huius uerbi uis facta est: „quam proxime a corpore", iuxta ipsum corpus, siue strictim. Translatum est in res nauticas cfr. Pollux 1, 113 ἐν χρῷ τῆς γῆς παραπλέοντες, litus legere. Loci quem laudauimus interpretatio haec est: Atheniensium naues tam prope nauigantes ad Peloponnesiorum naues accedebant ut eas quasi tangerent.

---

§ 2. *Translationes a communibus humani corporis conditionibus sumptae.*

Ὁρᾶν saepe ita transfertur, ut idem ualeat ac spectare, uergere, situm esse. Uelut 2, 55 ᾗ (γῆ) πρὸς Πελοπόννησον ὁρᾷ spectat ad Peloponnesum cfr. 2, 93, 4; 6, 75, 1; 6, 101,

1; 7, 37, 2. Uerbo βλέπειν apud Thucydidem hoc idem non notatur. Fieri tamen potest ut magis uerbi amplificatio quam translatio sit dicenda.

Sequitur ὑγιής. Ualitudo iam apud Homerum et postea apud multos alios scriptores in animi mentisque uires transfertur, ita tamen ut fere semper aliqua negatio sit addita; sic indicantur res et personae non sanae, stultae ac stolidae. His duobus locis occurrit apud Thucyd. 4, 22, 3 ἀλλ' εἴ τι ὑγιὲς διανοοῦνται, si quid sani cogitarent 3, 75, 4 ὡς οὐδὲν αὐτῶν ὑγιὲς διανοουμένων. Sic etiam Caes. B. G. 5, 7 nihil hunc se absente pro sano facturum arbitratus.

Naues uehementer uexatae dicuntur infirmae; in eadem rursus cogitatione uersabatur Thucyd. haec scribens: καὶ τῶν σφετέρων νεῶν τῶν αἰχμαλώτων ὅσαι ἦσαν ὑγιεῖς ἐκομίσαντο, quae naues ad nauigandum utiles erant 8, 107, 2.

Ut corpus grauiter laesum uulneratur sic aliae quoque res uulnerari dicuntur. Sic 4, 14, 1 ἔτρωσαν πολλάς, multas naues fregerunt. De nauibus non nisi raro scriptores utuntur uerbo τιτρώσκειν. Cfr. Herod. 8, 18 apud quem etiam 6, 16 legitur τρῶμα, cum agitur de nauibus laesis.

Quo iure Homero Il. 7, 258; 13, 552 dicere licuit οὐτάζειν σάκος eodem optimae graecitatis auctores dicere sibi licere crediderunt, cum de nauibus uehementer uexatis ageretur, eas esse uulneratas. Cfr. Pollux 1, 125; 4, 189. Similiter alibi dicitur κατατραυματίζειν 7, 41, 4; 8, 10, 4; 8, 42, 3. Apud Diod. Sic. 13, 40 occurrit κατατιτρώσκειν. Cfr. Liv. 37, 24, 8. Uulnerata nauis.

Οὐλή est cicatrix. Ὕπουλον id dicitur quod latet sub cicatrice nec extrinsecus conspici potest — quod cicatrice obductum non tamen persanatum est. Hinc tropice: occultum, subdolum τὴν ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων ὕπουλον αὐτονομίαν οὐ προτιμήσαντες 8, 64, 5. Pulcherrime inter sese opponuntur ἡ ἄντικρυς ἐλευθερία, i. e. sincera libertas atque ὕπουλος αὐτο-

νομία, reipublicae recte administrandae forma, quae pulchra uidetur, reuera specie tantum existit. Mytilenaei ipsi optime *ὕπουλον* illam *αὐτονομίαν* interpretantur. Sic enim loquuntur: *ἡμεῖς αὐτόνομοι δὴ ὄντες καὶ ἐλεύθεροι τῷ ὀνόματι*[1]) *ξυνεστρατεύσαμεν* 3, 10, 6. Hoc uno loco apud Thucyd. vocabulum occurrit. Cfr. Plato Gorg. 480 B, Soph. O. T. 1396, Demost. 18, 307, Plut. Ages. 32. Scite Poppo cum hisce Thucydidis uerbis comparat quae leguntur apud Senecam Epist. 80 „horum qui felices uocantur hilaritas ficta est, aut grauis et suppurata tristitia."

Ῥώμη. Uis natiua huius uocis est corporis robur, cui opposita est corporis debilitas *ἀρρωστία*. Corporis uiribus pollere est *ῥώννυσθαι*. Hoc uerbo utitur Thucydides sensu proprio 7, 15, 2. Dum enim ualui, dicit Nicias, *καὶ γὰρ ὅτ' ἐρρώμην*. Transfertur 2, 8, 1 totis uiribus in bellum incumbebant: *ἀλλ' ἔρρωντο ἐς τὸν πόλεμον*. Sic. 2, 8, 4 *ἔρρωτό τε πᾶς καὶ ἰδιώτης καὶ πόλις*, et singuli et ciuitates integrae omni spe nitebantur. *Ἐπιρρωννύναι* proprie est corroborare inde animum addere cfr. 3, 6, 1; 6, 93, 1; 8, 89, 1; 8, 106, 5. Multis modis translatum est uocabulum *ῥώμη*, uelut 5, 14, 1 ubi agitur de armis uirisque. 4, 18, 3 de reipublicae potentia. 7, 63, 4 (opponitur *ἀσθένεια*) de fiducia sui cfr. 4, 29, 2. De locis ejusmodi ut sunt 2, 43, 6 et 7, 75, 4 disputatur inter uiros doctos, utrum corporis an animi uires significentur. 6, 85, 1 agitur de amicorum potentia (opponuntur *ἀδύνατοι*) 7, 18, 2 et 4, 29, 2 de animi robore.

Ἀρρωστία ex communi hominum sensu sic transfertur ut idem ualeat atque taedium 3, 15, 2 *ἀρρωστίᾳ τοῦ στρατεύειν* militiae taedio, 7, 47, 1 *πρὸς τὴν παροῦσαν ἐν τῷ στρατοπέδῳ κατὰ πάντα ἀρρωστίαν*, quod totis trepidabatur castris et omni

---

1) Quare mihi Herwerdenus errauisse uidetur uocabula *τῷ ὀνόματι* uncinis includens.

ex parte animis erant demissis. Et alio quodam modo 8, 83, 2 *πολλῷ ἐς τὴν μισθοδοσίαν τὸν Τισσαφέρνη ἀρρωστότερον γενόμενον*: quod ad stipendium soluendum longe languidior factus erat. Cfr. Xenoph. Oec. 4, 2 *Τῶν δὲ σωμάτων θηλυνομένων καὶ αἱ ψυχαὶ πολὺ ἀρρωστότεραι γίγνονται*. Huius uocabuli sensum proprium explicat grammaticus in Bekkeri Anecd. Graecis 8, 1 sqq. *Ἀρρωστία: σημαίνει μὲν πολλαχοῦ τὴν νόσον, ἀλλὰ καὶ διαφέρει, ὅτι ἡ μὲν νόσος ἐστὶ καὶ μακρὰ καὶ ὀλιγοχρόνιος, ἡ δὲ ἀρρωστία τὴν μακροχρόνιον δηλοῖ· οἱ μέντοι Ἀττικοὶ τὴν ἀρρωστίαν ἐπὶ τοῦ μὴ προθυμεῖσθαι μηδὲ ὁρμᾶν πρᾶξαι, τιθέασι. τὸ γὰρ ἀντικείμενον τῇ τοιαύτῃ ἀρρωστίᾳ Κρατῖνος εἶπεν ἐρρῶσθαι, οἷον προθυμεῖσθαι.*

Frequentius uero aliud est uocabulum infirmitatem indicans, *ἀσθένειαν* dico. Huic 5, 95 opponitur *δύναμις*. *ἡ φιλία μὲν ἀσθενείας, τὸ δὲ μῖσος δυνάμεως παράδειγμα.*

Ad ipsum corpus referendum uidetur 8, 45, 2 *δαπανῶντες ἐς τοιαῦτα ἀφ' ὧν ἀσθένεια ξυμβαίνει*. Sumptus facientes in ea, quae ad infirmandum corpus pertinerent. Translatum est aliis locis atque his 1, 3, 5; 1, 3, 1 prisci homines imbecilli erant. In eodem capite uocabulo *ἀσθενείᾳ* opponitur uerbum *ἰσχύειν*. 3, 16, 1 falsa erat opinio Athenienses esse imbecillos. Porro *ἀσθένεια* dicitur de Athenis 8, 12, 1 de urbe 3, 52, 2 de muro 5, 61, 5. Qui debilis est uel infirmus dicitur *ἀσθενής*. Uariae huius uocis occurrunt translationes. 6, 9, 3 *ἀσθενὴς ὁ λόγος ἂν εἴη* oratio mea parum ponderis sit habitura 1, 5, 1 Homines, qui in egestate uitam degunt dicuntur *ἀσθενεῖς*, quibus opponuntur locupletes: *ἄνδρες οὐχ οἱ ἀδυνατώτατοι*. Sic hostes saepe speciem habent roboris et reuera sunt infirmi 4, 126, 4. Murus saepe dicitur infirmus 4, 9, 2 et ciuitates 6, 10, 3. Homo qui est imbecillior quam ut uim propulset, dicitur *ἀσθενής* 4, 85, 6. Res gestae dicuntur nullius momenti 1, 11, 3 *ἀσθενῆ*, pecuniae inopia.

Res male se habent 7, 48, 1 *ἀσθενῆ τὰ πράγματα.*

Δύναμις uigor transfertur 5, 20, 3 *ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος,* ex his ambabus dimidiatis anni partibus, quae annum conficiunt. 6, 46, 3, *ἃ ὄντα ἐπάργυρα πολλῷ πλείω τὴν ὄψιν ἀπ' ὀλίγης δυνάμεως παρείχετο,* quae argentea cum essent, quamuis exigui pretii, multo maiorem intuentibus praebebant speciem; *δύναμις* igitur hoc loco idem ualet ac pretium.

Ad infirmitatem proxime accedit senectus; quare quae translationes inde sunt sumptae hic suum habeant locum.

Ἀγήρων ἔπαινον ἐλάμβανον 2, 43, 2 immortalem gloriam nacti sunt. 2, 44, 4 *τὸ γὰρ φιλότιμον ἀγήρων μόνον.* Sola enim gloria immortalis.

Semel tantum 6, 18, 6 occurrit uerbum *ἐγγηράσκειν,* quod tamen Herwerdenus ut corruptum exsibilauit et explosit. At in ceteris uiro doctissimo facile fasces submittens in his non possum non dubitare rectene uiderit remque rite diudicauerit. Neque enim forma uerbi neque uis impedit quin quod est traditum uerbum ab ipso Thucydide sit profectum. Qui porro a uiro docto afferuntur loci [1]) sententiam uerbi interpretantur, ipsum uerbum non reddunt suspectum. Immo illud *κεκαίνωται* 1, 71, 3 quo in eadem utitur sententia auctor, satis superque indicat uerbum *ἐγγηράσκειν* hic suum obtinere locum. Quiescenti nihil procedit; haec est ut paucis totum complectar, huius loci sententia. *Καὶ νομίσατε .... τὴν πόλιν, ἐὰν μὲν ἡσυχάζῃ, τρίψεσθαί τε αὐτὴν περὶ αὐτὴν εἴπερ καὶ ἄλλο τι, καὶ πάντων τὴν ἐπιστήμην ἐγγηράσεσθαι.*

Uerbum *γηράσκειν* non solum de rebus sed etiam de personis sensu translato dici ostendit Soph. O. R. 872 *μέγας ἐν τούτοις θεός, οὐδὲ γηράσκει.* Cfr. Liu. 29, 3, 15. Hannibalem et fama senescere et uiribus et Liu. 1, 22 senescere ciuita-

---

1) 1, 71; 3, 142, 9.

tem otio. Ἐγείρειν. Hoc uerbum, quod de homine aliisue animantibus e somno excitatis proprie dicitur, hinc ad uaria transfertur. Sic dicitur ignis quasi sopitus excitari uel admoto fomite uel follibus. Cfr. Xenoph. Symp. 2, 24 ὁ οἶνος τὰς φιλοφροσύνας ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει et Aristoph. Lys. 306 τουτὶ τὸ πῦρ ἐγρήγορεν θεῶν ἕκατι καὶ ζῇ.

Legitur 1, 121, 1 πόλεμον ἐγείρομεν .... καὶ .... καταθησόμεθα αὐτόν. Dubitare hic licet an scripserit Thucydides: κατασβέσομεν; id sane negari non potest scriptorem hac similitudine usum multo melius perseueraturum fuisse. Nunc duae imagines, quarum altera a somno altera a ludo est ducta, sunt permixtae.

At redeamus ad translationem, de qua nobis agendum. Iam apud Homerum Il. 11, 213; 19, 237; 2, 240; 4, 352; 8, 531; 18, 304 inuenitur. Herodotus quoque 8, 142. scripsit ἠγείρατε γὰρ τόνδε τὸν πόλεμον. Cfr. etiam Xenoph. Hipp. 1, 19, Polyb. 15, 1, 2. Imago integra occurrit in Solonis ὑποθήκαις εἰς Ἀθηναίους 21. ἣ στάσιν ἔμφυλον πόλεμόν θ' εὕδοντ' ἐπεγείρει. Bellum hic fingitur dormiens et e somno excitatur. Aristoph. Ranae 360 στάσιν ἀνεγείρει καὶ ῥιπίζει. Homini dormienti similis est ignis quasi sopitus obducto cinere; eiusmodi autem ignis admotis follibus flatu accenditur. Sic et στάσις. Gradatim igitur orta est translatio. 7, 51, 1 Omnes codices dant ἐγηγερμένοι uno Uaticano excepto, in quo legitur ἐπηρμένοι. Mihi hic locus uidebatur non praetereundus, sed credo recte fecisse eos, qui Uaticani lectionem receperunt; nam uera uidentur quae scripsit Poppo: „inusitatum est hoc sensu apud prosae orationis scriptores uerbum ἐγείρειν" et uerbo ἐπαίρειν saepius apud Thucydidem ea subiecta est notio, qua hic opus esse omnes consentiunt. Cfr. 2, 11, 2; 8, 2, 1.

§ 3. *Translationes ductae a rebus externis quae ad uitam pertinent.*

In qua quisque cotidie uersatur domus multas uariasque peperit translationes. Longum est omnes enumerare locos; nonnullos afferam, qui maxime digni uidentur.

Οἰκεῖν 1, 17. Τὰς πόλεις ᾤκουν urbes administrabant. Οἰκεῖος saepe idem ualet atque „suus". Sic οἰκεῖον κίνδυνον domesticum periculum 1. 60, 1. Οἰκεῖα στρατόπεδα 4, 25, 1. Οἰκεῖαι ἁμαρτίαι domestica peccata 1, 144, 1 et sic sescenties. Οἰκεῖα saepe opponuntur ἀλλοτρίοις 4, 98, 4. Sic οἰκεῖον κίνδυνον περὶ ἀλλοτρίας γῆς 3, 13, 5. Cfr. 4, 72, 1. Τὰ οἰκεῖα 1, 70, 7 rebus suis priuari. Cfr. 1, 41, 3; 1, 141, 7; 6, 82, 4. Τὰ οἰκεῖα suas uires 5, 68, 2 et οἰκεία δύναμις 1, 32, 5. Notanda uidentur quae leguntur 7, 70, 7 et 6, 17, 3 Οἰκεία πατρίς et 7, 61, 2 οἰκεία πόλις patria cara.

Οἰκεία δύναμις 1, 121, 3 opponitur ὠνητῇ; οἰκεῖος σῖτος 6, 20, 4 opponitur ἐπάκτῳ. Οἰκεῖον πόλεμον 4, 64, 5 bellum intestinum. Οἰκεία ξύνεσις ingenium ac natura. 1, 138, 3 οἰκεῖοι τῷ χωρίῳ 4, 3, 3 sunt locorum periti. 4, 64, 3 οἰκεῖοι dicuntur qui eiusdem sunt nationis. Quod ad aliquem pertinet dicitur ei οἰκεῖον 4, 6, 1. Lacedaemonii et Agis ipsorum rex, id quod Pylo contigerat, ad se potissimum pertinere, οἰκεῖον σφίσι, ducebant. Cfr. 6, 85, 1 Οἰκειότης idem est atque amicitia 4, 19, 1. (Cfr. οἰκείως διαλέγεσθαι familiariter colloqui 6, 57, 2). Sic 3, 86, 4 eadem uoce significatur affinitas. Cfr. 1, 9, 2 κατὰ τὸ οἰκεῖον, propter necessitudinem. Restat ut animaduertamus, quae 2, 38, 2 leguntur: unde accidit ut iis, quae hac terra gignuntur non magis domestico usu — οἰκειοτέρᾳ ἀπολαύσει — fruamur, quam iis, quae apud alios nascuntur, bonis. cfr. 7, 70, 8. Possum plures afferre locos sed sentio uerbi uim me iam satis esse interpretatum. Ceteroqui hac in re Latini iisdem utuntur translationibus qui-

bus Graeci. cfr. usus domesticus, exempla domestica et sescenta alia.

Claustrum totiens sui transferendi occasionem dedit, ut si uerbo tetigerim, nihil ultra desideretur. Hoc tamen unum monendum uidetur. Sunt qui putent [1]) cum scriptores uerbo κλείειν eiusque compositis utantur eam esse uim, ut clauis notio aut omnino absit aut saltem magna ex parte sit obscurata. Tota uia errant, ni fallor; uocabulum enim κλείς (κληίς) hanc uim habet suam ac propriam ut nihil aliud primitus significaret nisi seram transuersam uel tignum transuersarium, pessulum foribus qui obderetur. Adeatur Homerus hac in re testis uel locupletissimus. Sic per se patet quomodo frequens horum uocabulorum translatio sit orta.

Apud Thucydidem 7, 56, 1 legitur κλείειν στόμα aditum intercludere. Sic λύειν τὰς κλήσεις portus claustra soluere 7, 70, 2 ἀποκλείειν intercludere 8, 104, 4 ξυγκλείειν densare ordines 1, 35, 1 et id genus alia. Huc pertinet εἴργειν 1, 35, 3; arcere cfr. 6, 1, 2.

Hoc loco suo addi potest translatio a uigilando sumpta, uelut: καὶ τὴν φυλακὴν μὴ ἀπὸ τῶν νόμων τῆς δεινότητος ἀξιοῦν ποιεῖσθαι 3, 46, 4 non legum atrocitate nos custodire.

In qualibet domo cella est penaria ex qua promuntur ad usum cotidianum quae sunt necessaria. Res domesticas qui dispensat dicitur ταμίας. Lepidae ac festiuae sunt translationes quas ab hac re mutuati sunt Comici; unum alterumue lubet commemorare exemplum. Phoenicid: 3, 4 hominem uoracem, qui edendi finem facere non possit, dicit habere τοιοῦτο ταμιεῖον ὥσπερ οἰκίας. Et apud Eubul. 107, 2 garrulus quidam uentosus haud sine ambiguitate dicitur οἰκείων ἀνέμων ταμίας.

Hanc legimus translationem apud Thucydidem: 6, 78, 2

---

1) Uelut H. Blümmer, libro laudato p. 62.

οὐ γὰρ οἷόν τε ἅμα τῆς τ' ἐπιθυμίας καὶ τῆς τύχης τὸν αὐτὸν ὁμοίως ταμίαν γενέσθαι. Fieri non potest ut idem simul suae uoluntatis atque fortunae sit arbiter. Eadem sententia occurrit 4, 64, 1 μηδὲ.... ἡγεῖσθαι τῆς τε οἰκείας γνώμης ὁμοίως αὐτοκράτωρ εἶναι καὶ ἧς οὐκ ἄρχω τύχης.

Uerbum ταμιεύεσθαι, suo arbitratu constituere, occurrit 6, 18, 3 καὶ οὐκ ἔστιν ἡμῖν ταμιεύεσθαι ἐς ὅσον βουλόμεθα ἄρχειν. Neque nobis licet imperium arbitratu nostro moderari. Cfr. Xenoph. Anab. 2, 5, 18; Cyrop. 3, 3, 47; 4, 1, 18.

Ipsum habitare, ἐνδιαιτᾶσθαι, translationem prouocauit. Inuenitur 2, 43, 3: sed uel in aliena terra memoria eorum et ea quidem, quae litteris perscripta non sit — ἄγραπτος μνήμη — animi magis quam facinorum perdurat — ἐνδιαιτᾶται.

---

§ 4. *Translationes a familia sumptae.*

Ipsum nascendi initium multarum translationum praebuit materiam. Non est dubium, inquit Blümmer [1]), quin uerbum γίγνεσθαι primitus nascendi rationem significet et inde per translationem latius patere coeperit, ita ut omnia quaecunque sunt, quae aliquo modo fiunt, cum ipso hominis ortu comparentur nascique dicantur. In re igitur non dubia testibus non opus esse confido.

Τρέφειν, quod non solum de educando infante sed de nutriendo omnino dicitur, saepe transfertur, ut in classem 1, 81, 4; in exercitum 4, 83, 5; in naues 8, 44, 1; eodem modo ac latini utuntur uerbo alendi. Cfr. Cic. Tusc. Disp. 1, 2. Honos alit artes; et praesertim Brut. 10, 39 Uidesne igitur, ut in ea ipsa urbe, in qua et nata et alta sit elo-

1) Ueber Gleichniss und Metapher in der Attischen komödie pag. 73.

quentia, quam ea sero prodierit in lucem. Sic. 8, 43, 4 *τροφή* est sumptus belli. *Ξύντροφος* 2, 50, 1 inuenitur: *ἄλλο τι ὂν ἢ τῶν ξυντρόφων τι*, ex hoc apparebat morbum omnino nouum et insolitum esse. Scholiasta interpretatur *τῶν εἰωθότων*. Cfr. 2, 51, 1. *καὶ ἄλλο παρελύπει κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὐδὲν τῶν εἰωθότων*.

Uiuidas et luculentas imagines oculis nostris repraesentant translationes illae, quae uerbo *βόσκειν* eiusque compositis et deriuatis continentur, quaeque partim suauissimae sunt. Uelut Soph. Antig. 1246 *ἐλπίσιν δὲ βόσκομαι* fragm. 687 *ἐλπὶς γὰρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν*. Phil. 313 *κακοῖσι βόσκων τὴν ἀδηφάγον νόσον*. Cfr. 1167 et Trach. 144 et Aiac. 570 *γηροβοσκός*. Eur. Her. 826. Semel tantum haec metaphora occurrit apud Thucydidem: 7, 48, 5 *ναυτικὸν βόσκειν* alere classem, cfr. Herod. 6, 39. Solutae orationis scriptores Attici hoc uerbo de hominibus non utuntur, idque mirum uidetur cum saepe utatur Aristophanes [1]) in sermone cotidiano. Porro ex exemplis allatis satis apparet tota uia errare Pape, cuius in lexico haec leguntur: uulgo *βόσκειν* cum contemptu et contumelia dicitur.

Qui maximus est natu dicitur *πρεσβύτατος*, saepeque maiore prae ceteris gaudet dignitate. Translata est huius uocabuli uis 4, 61, 6 *μηδὲ τοῦτό τις πρεσβύτατον ἥκει κρίνας*, cfr. Liu. 1, 32. Nihil antiquius habeo.

Quicunque cibi nondum sunt cocti dicuntur crudi, *ὠμοί*. Naturalis et principalis uerbi significatio igitur pertinet ad cibos, qui hominibus ad uescendum nondum sunt apti. Iam apud Homerum translatio occurrit: Od. 15, 357 *ὠμὸν γῆρας* senectus praematura. Apud Thucydidem *ὠμὴ στάσις* 3, 82, 1 et 3, 36, 4 *ὠμὸν βούλευμα* legitur.

Praeter parentes liberosque sunt etiam alii in familia, qui

1) Cfr. Equit. 256, 1258. Them. 449.

ad ipsam domum non pertinent; dicuntur δοῦλοι eorumque conditio est δουλεύειν. Omnes omnium temporum scriptores ac poetae ad indicandam seruitutem, quaecunque est aut fingi potest, hoc praeter cetera amauerunt uerbum imprimis ubi agitur de libertate amissa amittendaue alicuius populi in republica.

5, 9, 9 δοῦλος idem ualet ac alieno imperio parens, ut patet ex uerbis quae proxime sequuntur: ἄνευ ἀνδραποδισμοῦ. Sic δουλεία 5, 86 est conditio illius, qui alieni iuris est factus. 3, 56, 4 ὅτε πᾶσι δουλείαν ἐπέφερεν ὁ βάρβαρος. Cfr. 1, 122, 2; 2, 71, 3. Opponuntur inter sese 1, 8, 3 δουλεία et ἐλευθερία; 2, 63, 1 et 5, 69, 1 ἀρχὴ et δουλεία contraria referuntur: aut ipsi imperare aut aliorum imperium sequi. Δουλοῦν τὴν Ἑλλάδα sub suam potestatem redigere 1, 98, 3. Sic 3, 10, 2 καταδούλωσις opponitur τῇ ἐλευθερώσει.

Sociorum conditio, quos, cum de principatu certaretur, Athenienses omnibus uinculis sibi deuinctos et constrictos tenebant, longe erat alia atque eam esse gloriabantur; nomine enim erant liberi reuera tamen, ut etiam interdum dicebantur, erant ὑπήκοοι, et siue (Thuc. 7, 57) ὑποτελεῖς siue αὐτόνομοι uocabantur praeter foedus aequis initum conditionibus in omnibus morem gerere atque obsequi suis dominis erant coacti. Non minus igitur uere quam acerbe et Lacedaemonii et ii, qui Atheniensium iugum a ceruicibus depellere uolebant, socios — ξυμμάχους — dicebant seruos. Sic Mytilenaerum legati Lacedaemoniorum iussu Olympiam qui uenerant, dixerunt: οἱ ξύμμαχοι ἐδουλώθησαν 3, 10, 5. Ceteroquin tota oratio miseram queritur sociorum conditionem.

Brasidas, cuius oratio Acanthi habita ab initio usque ad finem magnam spirat indignationem propter Atheniensium in socios libidinem et licentiam, et alia et haec dixit: οἱ δ' Ἕλληνες ἵνα μὴ κωλύωνται ὑφ' ὑμῶν δουλείας ἀπαλλαγῆναι 4, 87, 3.

Haec leguntur 6, 20, 2 ἐπὶ γὰρ πόλεις μέλλομεν ἰέναι μεγάλας καὶ οὔθ' ὑπηκόους ἀλλήλων οὔσας δεομένας μεταβολῆς, ᾗ ἂν ἐκ βιαίου τις δουλείας ἄσμενος ἐς ῥᾴω μετάστασιν χωροίη, οὔτ' ἂν τὴν ἀρχὴν τὴν ἡμετέραν εἰκότως ἀντ' ἐλευθερίας προσδεξαμένας. Etenim aduersus ciuitates magnas ituri sumus, aliarum imperio non parentes nec mutatione egentes, qua ipsarum aliqua ex dura seruitute in meliorem rerum statum transeat. Poppo, limatus ille et emunctus praeclare pro sua sagacitate haec annotat: „Distinguitur interna tanquam ac domestica libertas, qua urbes Sicilienses utuntur rerum mutatione non egentes (cfr. 7, 55, 2) a libertate externa quam ab Atheniensium imperio defensuri sunt."

Perspicua omnino sunt uerba Corinthiorum Lacedaemone quae sunt locuti 1, 121, 5 ἢ δεινὸν ἂν εἴη εἰ οἱ μὲν ἐκείνων ξύμμαχοι ἐπὶ δουλείᾳ τῇ αὑτῶν φέροντες οὐκ ἀπεροῦσιν, ἡμεῖς δ' ἐπὶ τῷ τιμωρούμενοι τοὺς ἐχθροὺς καὶ αὐτοὶ ἅμα σώζεσθαι οὐκ ἄρα δαπανήσομεν.

Aut uero indignum fuerit, si illorum quidem socii in hoc ut seruitutem suam tueantur, pecunias conferre non desistent, nos uero in hoc ut hostes ulciscentes ipsi simul seruemur nullas pecunias consumere uolemus.

Sic porro passim utitur Thucydides uocibus: δοῦλος, δουλοῦν, δουλεία eorumque oppositis.

Aliae Thucydidis hoc in genere translationes hae sunt: 1, 81, 6 εἰκὸς 'Αθηναίους φρονήματι μήτε τῇ γῇ δουλεῦσαι; adeo uerisimile est, ut Athenienses pro animi magnitudine neque agro seruiant. 3, 38, 6 δοῦλοι ὄντες τῶν ἀεὶ ἀτόπων rerum inusitarum saepe serui.

Sic et mirum in modum transfertur uerbum δουλοῦν 4, 34, 1 τῇ γνώμῃ δεδουλωμένοι. Scholiasta interpretatur τεταπεινωμένοι: abiectum et fractum esse animo. Cfr. 7, 71, 3 magis animos quam qui in ipsa pugna uersabantur demittebant. Dicitur igitur de iis, qui desperatis omnibus animos despon-

dent, cum omnis libere agendi facultas suis mentibus erepta esse uideatur. Cfr. 2, 61, 3 *δουλοῖ γὰρ φρόνημα τὸ αἰφνίδιον καὶ ἀπροσδόκητον*, frangit enim spiritum et libertatem adimit casus repentinus et inexpectatus. Cfr. Eurip. Hipp. 426. Notandus etiam usus uerbi *ἐλευθεροῦν* 3, 51, 3, inter insulam continentemque libera redditur nauigatio.

Cetera quoque nomina quae uaria famulorum ministrorumque indicant genera saepe et apud Thucydidem transferuntur. Cfr. *θεραπεύειν τοὺς αἰχμαλώτους* 5, 43, 2 officiis prosequi captiuos. *Θεραπεύειν τὸ ναυτικόν* 2, 65, 7 rebus nauticis operam dare. 6, 61, 5, idem ualet ac cauere. Cfr. 4, 67, 3; 7, 70, 3. Passim huius translationis inuenire licet exempla. Addere liceat etiam *ὑπηρετεῖν* 4, 108, 7 iuuare.

---

§ 5. *Translationes a conuiuiis et re familiari sumptae.*

Ueteres iusta hospitalia semper magni fecerunt. Huic consuetudini non spernendae grata referenda est translatio his quae uerbis continetur: *τίς οὖν αὕτη ἢ φιλία ἐγίγνετο ἢ ἐλευθερία πιστή, ἐν ᾗ παρὰ γνώμην ἀλλήλους ὑπεδεχόμεθα, καὶ οἱ μὲν ἡμᾶς ἐν τῷ πολέμῳ δεδιότες ἐθεράπευον, ἡμεῖς δ' ἐκείνους ἐν τῇ ἡσυχίᾳ ταὐτὸν ἐποιοῦμεν.* 3, 12, 1. Nam mea quidem sententia quod Haasius legendum proponit quodque Herwerdenus in textum recepit uerbum *ὑπηρχόμεθα* pro *ὑπεδεχόμεθα* sine ulla iusta causa Thucydidi obtruditur. Uerbum enim *θεραπεύειν* quod proxime sequitur magis mihi uidetur congruere cum lectione codicibus tradita, qua reiecta bis dicitur idem, et quod caput est, uerbi *ὑποδέχεσθαι* sententia satis est bona. Quid ualeat uideamus. Idem ualere atque hospitio excipere pluribus locis nos docet Homerus, et cuius

domus hospitibus pateret eum ὑποδέξασθαι omnes sine ulla uarietate dixerunt scriptores. Cfr. Pind. Pyth. 99; Herod. 1, 41; Aristoph. Ach. 979; Xenoph. Mem. 3, 11, 10. Fere idem ualet atque ἐπιμείγνυσθαι παρ' ἀλλήλους. Plato Leg. 952 E haec habet: ἀγοραῖς καὶ λίμεσιν ὑποδέχεσθαι; quo sane nihil est liberalius. Quare ut quibus omnis negaretur liberalitas apud Lacedaemonios questi sunt Megarenses se λιμένων τε εἴργεσθαι τῶν ἐν τῇ 'Αθηναίων ἀρχῇ καὶ τῆς Αττικῆς ἀγορᾶς 1, 67, 4.

Quos honore praeter ceteros afficere uolebant, iis in conuiuiis praesertim non solum princeps locus sed etiam maior ac melior ciborum pars tribui solebat. Ipsum Homerum eumque locupletem habemus testem. Pars illa maior dicebatur τιμή siue γέρας. Cfr. Od. 14, 437 νῶτα διηνεκῆ (Verg. Aen. 8, 183. Uescitur Aeneas... Perpetui tergo bouis). Il. 7, 321. (non sine ironia ac dissimulantia Od. 20, 297) Od. 4, 65. 8, 475 νῶτα βοός. Inde natus est, ni fallor, multa quae huc pertinent uerba transferendi usus; uelut νέμειν, πλεονεκτεῖν, μειονεκτεῖν idque genus alia. Τὸ δ' ἐμπλήκτως ὀξὺ ἀνδρὸς μοίρᾳ προσετέθη. 3, 82, 4. furor insaniens uiro dignus habebatur; id homini tamquam natura debitum tribuebant. 1, 71, 1. τὸ ἴσον νέμειν aequitatem tueri; dare quod quemque decet. Sic saepius, cfr. 1, 120, 1. Huc etiam pertinet τὸ ἴσον ἔχειν. 1, 39, 3. Criminum aequam accipietis partem. Conferantur quae addita sunt uerba μεταδώσετε et κοινώσαντες.

Μεῖζον μέρος νέμοντες τῷ μὴ βούλεσθαι ἀληθῆ εἶναι. 3, 3, 1. Suo desiderio ut falsa essent, quae prolata erant crimina, plus tribuentes. cfr. 3, 48, 1. οἴκτῳ πλέον νείμαντες plus tribuentes misericordiae. Sic 3, 114, 1; 1, 71, 1. Legatur Athen. 1, 23 ubi luce clarius ostenditur quae huic uerbo uis sit subiecta.

Πλέον ἔχειν 4, 62, 3. Uulgo his uerbis fraudis uel lucri iniusti notio est subiecta. Cfr. 1, 76, 2; 1, 42, 4; 4, 62, 3.

Eandem uim habet *πλεονέκτης* 1, 37, 4 et *πλεονεκτεῖν* 1, 77, 3. *Οἱ δ' εἰθισμένοι πρὸς ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ ἴσου ὁμιλεῖν ἥν τι ὁπωσοῦν ἐλασσωθῶσιν, οὐ τοῦ πλείονος μὴ στερισκόμενοι χάριν ἔχουσιν, ἀλλὰ τοῦ ἐνδεοῦς χαλεπώτερον φέρουσιν ἢ εἰ ἀπὸ πρώτης ἀποθέμενοι τὸν νόμον φανερῶς ἐπλεονεκτοῦμεν.* At illi assueti aequo iure nobiscum disceptare, si quid iis quomodocunque fuerit detractum, non habent gratiam de pluribus non ereptis; sed modicum illud, quod detractum est, grauius ferunt quam si statim ab initio legem uiolantes aperte commodum nostrum quaesiuissemus. Quae uerba, ni fallor, luculenter ostendunt, unde translatio sit sumpta, cfr. 4, 61, 5; 1, 38, 6; 6, 39, 2. Saepe etiam relatione contrariorum quae uerbi alicuius uis sit cognosci potest. *Μειονεκτεῖν* enim apud Xenoph. Mem. 3, 14, 6. dicitur de homine plurimi cibi, qui, cum mensa non pluribus epulis sit exstructa, non satis se habere putat. Eiusdem generis sunt: *ἔλασσον νεῖμαι* 6, 88, 1. *ἔλασσον ἔχειν* 3, 5, 2. *ἐλασσοῦν* 5, 34, 2; 5, 43, 2; 1, 77, 1. Unum adhuc locum mihi afferre liceat, quo translatio haec in bono lumine collocetur. *Πάντες γὰρ αὐθημερὸν ἀξίουσιν οὐχ ὅπως ἴσοι, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρῶτος αὐτὸς ἕκαστος εἶναι· ἐκ δὲ δημοκρατίας αἱρέσεως γιγνομένης ῥᾷον τἀποβαίνοντα ὡς οὐχ ὑπὸ τῶν ὁμοίων ἐλασσούμενός τις φέρει.* 8, 89, 3. In republica, in qua populus plurimum potest omniaque eius arbitrio geruntur, cum quidam plurima puncta tulerunt, unusquisque aequi bonique facit, utpote qui ab hominibus dignitate praestantioribus se superatum esse putet.

Pater familias ad rem attentus sit et ad calculos sumptus uocet oportet, ne rationes turbentur. Sensu proprio legitur *ἀνάλωμα* 1, 99, 3, ubi uoce *δαπάνη* quae sequitur illustratur. Translatio inest his uerbis 7, 11, 3. *ἀπανηλωκυίας τῆς φυλακῆς τῶν τειχῶν μέρος τι τοῦ ὁπλιτικοῦ*, quod munitionum custodia magnam grauis armaturae partem absumat. His addenda, quae leguntur 6, 31, 5 *εἰ γάρ τις ἐλογίσατο τήν τε*

τῆς πόλεως ἀνάλωσιν. Si quis enim rationem iniisset sumptuum. Saepe res aliter cadit ac putauimus, nec constat ratio. Unde haec orta translatio: τὸν παράλογον τοῦ πολέμου ὅσος ἐστίν 1, 78, 1. Cfr. 3, 16, 2. Uarii sunt belli euentus.

Parsimonia est ars uitandi sumptus superuacaneos, quam qui non callet artem, is saepe est prodigus. Inde hae translationes. 5, 103, 1 δάπανος γὰρ φύσει ἡ ἔλπις natura spes est prodiga. 4, 3, 3 ἐὰν βούληται καταλαμβάνων τὴν πόλιν δαπανᾶν. Si in iis occupandis ciuitatem exhaurire uelit. Grauius uero uir doctus aliam interpretandi uiam est ingressus, cuius haec est opinio: eos, qui putent πόλιν esse obiectum uerbi δαπανᾶν, adduxit ut ita putarent Antiphon de Caede Her. 719: ἄνδρα ὃν ἐδαπάνησαν, idemque addit non temere nonnullos legere ἐβασάνισαν. Quid igitur? Nonne quae Appianus de Bell. Civ. 1, 94 scripsit digna sunt quae conferantur: ἄνεμός τε πολὺς ἐμπεσὼν ἐς τοσοῦτον αὐτὴν (τὴν πόλιν) ἐδαπάνησεν, ὡς κ. τ. ε., nec quae leguntur Plut. Galba 17. Τιγελλῖνον ὑπὸ φθινάδος νόσου δαπανώμενον? An nullius sunt momenti? Grauius ipse porro quod modo exstruxit sua manu destruit et sic, ut aiunt sua caedit uineta. Res est facilis, inquit, uerba ita interpretari ut πόλιν sit subiectum et uerbum δαπανᾶν natiuum suum obtineat sensum; at, ita pergit, sic minus apta uerborum compositione participium καταλαμβάνων uerbo βούληται erit iungendum — by a slight irregularity. — Eiusdem generis esse uidetur uerbum τρυχοῦν 7, 28, 3; 4, 60, 2; 7, 48, 2 et ἐκτρυχοῦν 3, 93, 2 exhaurire.

Rem familiarem qui bene curat, in diem non uiuit, sed futuri non immemor quidquid abundat in aliud tempus seponit, ut et postea habeat unde uivat tempora cum forte nubila sint facta. Hinc orta est imago 1, 33, 1 μετ' ἀειμνήστου μαρτυρίου τὴν χάριν καταθεῖσθε. Si in maximarum rerum discrimen adductos recipiatis, beneficium quam fieri potest maxime cum aeterno testimonio collocetis. Suum pondus

habent uerba μετ' ἀειμνήστου μαρτυρίου. Sensu proprio Lysias κατὰ τῶν σιτοπώλων 9: frumentum in granariis recondere et ad tempus caritatis reseruare. — Εὐεργεσίαν δ' ἀπὸ τοῦδε πρῶτον ἐς βασιλέα κατέθετο 1, 128, 4. Beneficium primum apud regem collocauit. Καὶ ἀίδιον δόξαν καταθέσθαι 4, 87, 6. Cfr. Herod. 7, 222; 6, 41. Beneficium bene collocatum 1, 42, 3 dicitur χάρις καιρὸν ἔχουσα. Eodem pertinent quae leguntur 1, 129, 3. Κεῖταί σοι εὐεργεσία ἐν τῷ ἡμετέρῳ οἴκῳ ἐς ἀεὶ ἀνάγραπτος. Κεῖσθαι, quod alibi dicitur ἀποκεῖσθαι, idem ualet ac repositum esse. Quare rex Xerxes Pausaniae haec scribit: ob uiros, quos mihi trans mare incolumes remisisti, beneficii gratia in domo nostra tibi perpetuo manebit reposita scriptaque semper seruabitur. Aliunde nouimus (Herod. 8, 85 et ex libro Estherae 8) nomina eorum, qui de rege atque de regno Persarum bene meruerint — ὀροσάγγαι i. e. εὐεργέται dicebantur — codicibus regiis inferri.

Hic non uidentur praetereunda quae leguntur 2, 72, 3, in quibus est uerbum παρακαταθήκη.

Ex se natis quisque quantum potest relinquit, ut ipse unde uiueret accepit. Uide translationes inde ortas. 1, 123, 1 πάτριόν ἐστιν. Quasi heredium alicui relinquere 1, 81, 6 δέδοικα δὲ μᾶλλον μὴ καὶ τοῖς παισὶν αὐτὸν (τὸν πόλεμον) ὑπολίπωμεν. Immo uero uereor, inquit Archidamus, ne liberis etiam nostris ipsum relinquamus. Cfr. 5, 16, 1. Καταλείπειν eodem sensu occurrit 6, 15, 5; 2, 64, 3 et προσκαταλείπειν 2, 36, 2.

---

§ 6. *Translationes a uestitu atque ornatu sumptae.*

Pallio homo est circumdatus. Hinc nata est translatio, uelut 1, 8, 3 καί τινες καὶ τείχη περιεβάλλοντο, moenia sibi

circumdabant. Sic etiam 5, 2, 4. Quasi uestimento urbem uallo circumdedit Brasidas. cfr. etiam 8, 40, 3.

Uestis est aut sinuosa aut adstricta et arte cincta ad corpus. Χιτὼν προσεσταλμένος διὰ ζώνης τῷ σώματι. Hoc quoque uerbum transtulit Thucyd. 5, 71, 1 διὰ τὸ φοβουμένους προσστέλλειν τὰ γυμνὰ ἕκαστον. Nam sic credo esse legendum, non uero προστέλλειν, ut libri dant. Scholiasta interpretatur σκέπειν καὶ προσάγειν. Tum, προστέλλειν si servaretur, datiuus ille casus, τῇ ἀσπίδι, quomodo obtineret? Hunc locum imitatus est Cassius Dio. 40, 23, 3 ubi tamen idem emendandum uitium: ταῖς τῶν παραστατῶν ἀσπίσι τὰς γυμνώσεις σφῶν προσστέλλειν. Legimus etiam apud Plutarch. Sull. 19. τοὺς περὶ αὐτὸν ἱππεῖς δισχιλίους ἐκθλιβόμενος ὑπὸ πλήθους προσεστέλλετο τοῖς ὀρεινοῖς. Iuuat addere quae habet Plat. Gorg. 511 D ubi ars gubernatoria dicitur moderata et modesta, προσεσταλμένη καὶ κοσμία. His omnibus rite perpensis sic constituendum uidetur: προσστέλλειν idem esse sensu translato ac se tegere.

Προτίθεσθαι proprie dicitur de inuolucro, quo quis tegitur. Thebani metuentes, ne Lacedaemonii Plataeensium uerbis nimis indulgerent, quaecunque ii dixerant refellere conantes, petulanter in eos inuehebantur. Uultum quasi in dissimulationem uestram larua obtexistis; latebant ista uestra uirtutis simulatione occultae insidiae; ut enim Graecos perderetis fortitudinis speciem prae uobis tulistis: ἐπὶ τῷ ἐκείνων κακῷ ἀνδραγαθίαν προύθεσθε 3, 64, 4. At aliquando euoluti ex fallacibus istis integumentis naturam uestram, sicuti est, ostenditis, cum nihil adhuc uobis sit obtentui et perspiciamini omni falsa specie nudati: καὶ ἃ μέν ποτε χρηστοὶ ἐγένεσθε, ὥς φατε, οὐ προσήκοντα νῦν ἐπεδείξατε, ἃ δ' ἡ φύσις ἀεὶ ἐβούλετο, ἐξηλέγχθη ἐς τἀληθές. Sic etiam 8, 85, 3 Hermocrates simulabat se esse Tissapherni inimicum, quod pecuniam roganti negasset Tissaphernes. Tum demum inimici personam sibi accommodauit. Κατηγόρει .... ὡς .... τὴν ἔχθραν οἱ προθοῖτο.

Celebri illa oratione funebri Pericles praeclare dicit de iis, qui uitam pro patria effuderunt: *καὶ γὰρ τοῖς τἆλλα χείροσι δίκαιον τὴν ἐς τοὺς πολέμους ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀνδραγαθίαν προτίθεσθαι.* 2, 42, 3. iis quoque qui ceteris in rebus deteriores sunt, uirtus quam pro patria ostenderunt, iure obtentui esse potest. Fieri potest ut in uita peccauerint, nunc gloriae specie atque decoris induti non amplius sunt neque habentur ii qui fuerunt antea, sed ut e uita gloriosi excesserunt, summo honore digni ab omnibus coluntur. Quare mihi mirum uidetur quod Goellerus scholiastam recte hunc locum interpretari putat, huius uerbi uim eandem esse atque *τοῦ προτιμᾶσθαι* dicentem. Ipsa enim uerba reclamant, ut attente qui legit facile agnoscet. Quid, quod proxime sequuntur et haec? *ἀγαθῷ γὰρ κακὸν ἀφανίσαντες κοινῶς μᾶλλον ὠφέλησαν ἢ ἐκ τῶν ἰδίων ἔβλαψαν.* Nonne satis superque indicant eos recte iudicasse, qui ut nos fecimus hunc locum sunt interpretati. Imago imaginem illustrat. Prioris enim uitae uitia primum dicit uelata, tum uero, quod plus est, iis, quae bene gesserunt oblita. Cfr. Herod. 6, 21 *πένθος μέγα προεθήκαντο.*

Eodem modo sanandum uidetur uerbum *προστιθέμενοι* 2, 37, 2. Quidquid enim Steupius reluctatur, recte fecisse uidetur Badhamus quod correxit *προτιθέμενοι.* Significantur hoc loco contrarii Spartanorum mores; quare optime interpres latinus: „neque molestum, licet innoxium, uultu dolorem praeferentes." Ipsi Steupio, inuito credo, excidit interpretatio, quae a nostra non differt; scripsit enim: „Wir nehmen auch nicht die Miene eines solchen an, die zwar nicht schadet aber doch in hohem Grade belästigt."

Huc quoque referendum uidetur *πρόσχημα*, uelamentum. 5, 30, 2 *πρόσχημα δὲ ποιούμενοι τοὺς ἐπὶ Θρᾴκης μὴ προδώσειν.* Speciosam causam praetendentes dicebant se non prodituros, qui erant in Thracia. 3, 82, 4. *τὸ δὲ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου*

πρόσχημα. Cfr. 1, 96, 1. Sic etiam Herod. 4, 167; 6, 44. Sequitur προκάλυμμα. Sensu proprio occurrit 2, 75, 5. Cfr. Dion. Halic. Ant. 6, 77. Translatum est 3, 67, 6 ἁμαρτανομένων δὲ λόγοι ἔπεσι κοσμηθέντες προκαλύμματα γίγνονται. Peccata ut occultentur indigent pulchris uerbis. Κεκαλλιεπημένους λόγους uocat Plato Apol. 17 B. fucata illa uerba.

Eiusdem est generis translatio, quae his continetur uerbis: ὅπως τῷ κοινῷ φόβῳ τὸν σφέτερον ἐπηλυγάζωνται 6, 36, 2. Uocabulum ἠλύγην Hesychius interpretatur ita ut sit idem ac σκιά; Suidas σκότος uocat; Cfr. Ruhnk ad Tim. 117. Scholiasta idem sentit sic interpretans: ἐπικρύπτωνται: ut communi timore suum obtegant. Cfr. Aristoph. Ach. 684 et Plat. Lys. 207 B. Quod hominis corpus defendit ab omni aëris intemperie, praesertim a uento, dicitur σκέπη. Cfr. Hom. Odys. 5, 443; 7, 282; 12, 336 et σκεπᾶν. Od. 13, 99 et εὐσκεπής, quod uocabulum dicitur de locis, quae sunt τῶν ἔξω πνευμάτων. Thucyd. scripsit 5, 71, 1 de acie: εὐσκεπαστότατον, optime munitam, tutissimam. Nusquam alibi haec vox occurrit, at εὐσκέπαστος inuenitur apud Cassium Dionem 49, 30.

Ab ornatu corporis saepe petitae sunt translationes. Legitur saepius et etiam apud Thucydidem περιτιθέναι, quasi ornatu aliquem circumdare. Sic 4, 87, 6 καὶ ξυμπάσῃ τῇ πόλει τὸ κάλλιστον ὄνομα περιθεῖναι i. e., quasi sertis pulcherrimo uelare nomine. Deinde usus est eodem uerbo cum quis non honore et gloria sed ignominia afficeretur. Cfr. 6, 89, 2. ἐμοὶ δ᾽ἀτιμίαν περιέθετε. Cfr. Tac. Hist. 4, 2 qui principatus inanem ei formam circumdarent et Agric. 20 egregiam famam paci circumdedit et Isocr. 5, 78—149.

Uerbum κοσμεῖν transfertur 2, 42, 2. Urbem αἱ τῶνδε ἀρεταὶ ἐκόσμησαν et 6, 41, 3 equis armisque aliisque rebus, quibus bellum gaudere solet, κοσμηθῆναι. Legitur 1, 10, 3 et 1, 21, 1. ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες. In maius celebrare. Cfr. Sall. Iug. 73 et Cic. in Uerrem 4, 56 nimis augere atque

ornare. Κόσμος transfertur 1, 5, 2; 1, 33, 2; 4, 17, 1 et saepius.

Eiusdem generis esse uidetur ἀγάλλεσθαι. Cfr. 6, 41, 3 ubi bellum tamquam persona inducitur. οἷς ὁ πόλεμος ἀγάλλεται,' quibus ut ornamentis bellum se ornat. Cfr. 2, 63, 1; 4, 95, 3 et 3, 82, 7 ubi inter se opponuntur αἰσχύνονται et ἀγάλλονται. Eodem fere redit λαμπρύνεσθαι. 6, 12, 2 et λαμπρότης 2, 64, 5; 7, 69, 2 et λαμπρῶς 8, 75, 2; 8, 67, 2; 7, 55, 1. Cfr. etiam ἐγκαλλώπισμα 2, 62, 3, quod proprie est fucus, hoc uero loco elegans aliquod diuitiarum ludibrium.

Eiusdem porro sunt generis haec, quae aduersum tenent uerba: λυμαίνεσθαι 5, 103, 2, quod proprie idem est ac contumelia afficere et hoc loco nihil aliud ualet nisi corrumpere, et προπηλακίζειν, quod est in luto proculcare, inquinare. Inde ut 6, 54, 4 ignominia afficere. Cfr. 6, 56, 1.

---

§ 7. *Translationes ab educatione et schola petitae.*

Puer discat oportet, ut quem inopem aluerunt ac sustentarunt parentes, aliquando uir factus ipse se sustentet. Et ita comparata est omnium hominum natura, ut quae quisque scit, suis magistris, institutis atque praeceptis, quibus a puero est imbutus, referat accepta. Non igitur mirum si praeceptoris ac disciplinae species ei saepe uersetur ob oculos. Haec apud Thucydidem occurrit translatio: λέγω, inquit Pericles, τήν τε πᾶσαν πόλιν τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν εἶναι 2, 41, 1 totam urbem nostram Graeciae magistram esse dico. Sic Diod. Sic 13, 27 παιδευτήριον uocat. Plat. Prot. 337 D πρυτανεῖον τῆς σοφίας. Translatio audax, ut recte animaduertit Boehmius his continetur uerbis. 3, 82, 2 ὁ δὲ πόλεμος ὑφελὼν τὴν εὐπορίαν τοῦ καθ' ἡμέραν βίαιος διδάσκαλος.

Bellum uiolentus est magister, qui discipulos suos, τὰς ὀργὰς τῶν πολιτῶν dico, ad praesentem rerum statum instituit et effingit, ὁμοιοῖ. Cfr. Xenoph. Cyr. 2, 3, 13 ubi idem dicitur de necessitate. 3, 42, 2 οἱ λόγοι dicuntur διδάσκαλοι. Διδάσκαλος metaphorice occurrit etiam 8, 45, 2. Omnia Alcibiades docebat ut Lacedaemoniis noceret. Idem fere dicitur 3, 2, 3 μηνυταὶ γίγνονται. Cfr. 5, 30, 1. Interdum uelut 8, 48, 6 pro uoce διδάσκαλος uocabulum ἐσηγητής inuenitur Cfr. 5, 30, 1. Aristoph. Ran. 971. Aesch. 1, 172 ambas uoces coniunxit.

Διδασκαλία, institutio, hoc modo transfertur 2, 87, 7. Quidquid antea est commissum peccata nostra nunc nobis erunt utilia ad discendum: διδασκαλίαν παρέξει. 1, 68, 3 διδασκαλίας ἂν ὡς οὐκ εἰδόσι προσέδει. Necesse esset ut tamquam ignari doceremini. Cfr. 2, 42, 1. Διδαχή admonitio 4, 126, 1 et saepius.

Διδάσκειν translationem prouocauit 2, 60, 6 ὅ τε γὰρ γνοὺς καὶ μὴ σαφῶς διδάξας ἐν ἴσῳ καὶ εἰ μὴ ἐνεθυμήθη, nam qui nouit et non aperte docet idem ualet atque is, qui nunquam cogitasset. Cfr. 1, 86, 4; 8, 75, 1 et 4, 17, 2 ubi διδάσκοντες et διδασκόμενοι inter sese opponuntur, ut 1, 68, 2 διδάσκειν et μάθησις.

Mitto quae leguntur 2, 43, 3, ἄγραφος μνήμη, per se enim patent. Quae scripta sunt saepe expunguntur. Inde haec translatio: δεινὸν δὲ δόξει εἶναι Πλάταιαν Λακεδαιμονίους πορθῆσαι, καὶ τοὺς μὲν πατέρας ἀναγράψαι ἐς τὸν τρίποδα τὸν ἐν Δελφοῖς δι' ἀρετὴν τὴν πόλιν, ὑμᾶς δὲ καὶ ἐκ παντὸς τοῦ Ἑλληνικοῦ πανοικησίᾳ διὰ Θηβαίους ἐξαλεῖψαι 3, 57, 2. Atrox uidebitur esse facinus Lacedaemonios Plataeas uastauisse, urbisque nomen, quod maiores uestri in tripode Delphico propter uirtutem insculpserunt, Thebanis ut morem gereretis, uos ex uniuersa Graecia deleuisse. Uerba haec quantos aculeos quantosque habeant neruos is sentiet contrariorum relationem qui rite perspexerit. Acute enim cum inter sese

opponuntur ἐς τὸν τρίποδα ἀναγράψαι et ἐκ παντὸς τοῦ Ἑλληνικοῦ πανοικησίᾳ ἐξαλεῖψαι, tum maxime uis uerborum atque pondus augetur, quod uerbo ἀναγράψαι proprie, translate uero uerbo ἐξαλεῖψαι utitur Thucydides. Eadem uis atque huic uerbo ἐξαλείφειν latino uerbo „delere" est subiecta. Utrumque enim de rebus atque de hominibus iuxta ualet. Nihil opus est, ni fallor, ut cum uiris doctis Coenen et Dronkers, cum de ui natiua huius uerbi ἐξαλείφειν quaeramus, picturam ac colorem cogitemus; uulgo enim dicitur de omnibus, quae scripta eraduntur. Cfr. Aesch. Choeph. 503; Eurip. Hip. 1241; Aesch. Theb. 15. Huc etiam pertinere uidetur τὸ ἀφανίζειν quod sensu proprio occurrit 6, 54, 7 ὕστερον ὁ δῆμος ἠφάνισε τοὐπίγραμμα. Uideamus quae 2, 42, 3 leguntur: ἀγαθῷ γὰρ κακὸν ἀφανίσαντες, male facta iis, quae bene gesserunt quasi oblinentes uel, ut ipsius Ciceronis uerbis utar, „egregio facto redimentes praeteritam culpam." Sic 7, 8, 2 Nicias metuens, ne legati siue memoria uel dicendi facultate deficiente siue populo gratum aliquid dicere cupientes, uera non renuntiarent, epistulam scripsit, existimans fore ut sic sententiam ipsius non obscurarent.

Cfr. 7, 69, 2 obliterare laudes quibus illustres ipsorum essent maiores. Mitto ceteros locos; una etiam addenda, quam Rhetorica praebuit, translatio. Inuenitur 6, 31, 4 ἐπίδειξις τῆς δυνάμεως. Cfr. 3, 16, 1 ubi agitur de ostentanda classe.

---

§ 8. *Translationes sumptae ab artibus, quibus homo uitam sustentat.*

Homo habeat unde uiuat oportet, utque habeat ei est quaerendum. Cum multae sint quaerendi uiae uideamus,

quibus translationibus ab iis petitis usus sit Thucydides.

Non omne quod agitur semper ad ipsum opus perficiendum pertinet, sed aut in ornamentum operis accedit aut non est rei ordinariae sed subsiciuae. Inde translationes *ἐκ παρέργου* 1, 142, 9; 7, 27, 4 *ἐν παρέργῳ* 6, 69, 3. His praemissis incipiamus ab ipso artificio. *Τέχνη* ars siue artificium dicitur primitus de exercitatione manuum, deinde de mentis habitu. Leguntur 1, 71, 2 haec: *νῦν δὲ ἀρχαιότροπα ὑμῶν τὰ ἐπιτηδεύματα πρὸς αὐτούς ἐστιν, ἀνάγκη δ᾽ ὥσπερ τέχνης ἀεὶ τὰ ἐπιγιγνόμενα κρατεῖν. Καὶ ἡσυχαζούσῃ μὲν πόλει ἀκίνητα νόμιμα ἄριστα, πρὸς πολλὰ δ᾽ ἀναγκαζομένοις ἰέναι πολλῆς καὶ ἐπιτεχνήσεως δεῖ, διόπερ καὶ τὰ τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ τῆς πολυπειρίας ἐπὶ πλέον ὑμῶν κεκαίνωται.* Imagine hac, qua semel est usus, perseuerat Thucydides. Corinthii Lacedaemoniorum uitae conditionem inertem ac languidam turbare cupientes, quo melius, quae uellent, indicarent, usi sunt exemplo artificis cuiusdam, qui quasi omnis aemulus absit in sua arte nimis antiqua atque obsoleta praefracte retinet et noua illa, quae usus scientiaque attulerunt incrementa, pro re nata in suum usum non conuertens, omnibus aemulis par esse conatur. Quibus 1, 70, 1 Corinthii utuntur uerbis Lacedaemoniorum uitam et Atheniensium ut effingant atque exprimant, haec si comparantur cum iis quae 1, 71, 2 referuntur, eandem fere utrisque sententiam inesse facile apparebit. Quare mihi errare uidentur qui putent Athenienses, *νεωτεροποιοὶ* cum dicantur, rerum nouarum cupidos esse putandos. Continuo enim uitio datur Lacedaemoniis, quod antiquum rerum statum retineant, nil noui addant. Quid quod 1, 71, 2 *τὰ ἐπιτηδεύματα* eorum *ἀρχαιότροπα* dicuntur? Nonne et haec interpretum errorem ostendunt luce clarius?

Duo in his uerbis mihi etiam leuiter perstringenda. Uocabulo *ἀρχαιότροπος* ex Atticis unus et hoc uno loco usus est Thucydides, et non nisi perraro, ut hic, comparationem

quam mente conceperat, ipsis uerbis indicauit addita uocula ὥσπερ. Uide introductionem [1]). Τεχνᾶσθαι idem est ac artificis manu aliquid perficere. Cumque doli ac fraudes saepe magnae artis speciem prae se ferant, uocibus τέχνη et τῷ τεχνᾶν haud raro scriptores utuntur, ubi agitur de uariis hominum artificiis atque insidiis. Ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δ' ἀφ' αὑτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατύγχανον 1, 122, 1. Belli enim progressus omnium minime certis legibus fiunt, sed ipsum per se plerumque comminiscitur, quae ad quemque euentum sunt commoda. Pulchra haec personarum fictio. Tyrannus ille, quod bellum uocant, leges sibi praescribi non patitur, ipse suas inuenit uias, ipse quibus opus est inuenit artes.

Περιτέχνησις, calliditas, legitur 3, 82, 3: τῶν τ' ἐπιχειρήσεων περιτεχνήσει, at hoc uno loco apud nostrum, postea etiam apud Cassium Dionem. Ἐν παρέργῳ hoc mihi notandum uidetur, Thucydidem saepius uerba excudisse ad similitudinem eorum, quae in suo genere ad idem pertinent, quod ipse intendit. Sic περιτέχνησις et περίνοια (3, 43, 3) optime intelleguntur similitudine quadam cum cohaereant cum aliis eiusmodi uocibus, uelut περιουσία, περιεργία. Praepositio περί summum indicat gradum, uerbo aut nomini cum est praeposita.

Eodem pertinet uerbum μηχανᾶσθαι. Uelut 4, 46, 4 μηχανῶνται τοιόνδε τι, clandestinum hoc ineunt consilium. Cfr. 4, 26, 9 παντί τε τρόπῳ ἑκατέρου ἐτεχνῶντο. Sescenties hoc uerbum occurrit cfr. 4. 47, 2; 5, 45, 2. Semper qui foedus feriunt his certis utuntur uerbis: μήτε τέχνῃ μήτε μηχανῇ, uide 5, 18, 4 et passim.

Promiscue haec; nunc proprie quae ad quodque artificium sint referenda uideamus. Ab architectura sumptum uidetur

---

1) Introductio p. 12.

uerbum ὑποτιθέναι, cui uerbo oppositum est ὑποκεῖσθαι, quod sensu proprie occurrit 1, 93, 2 οἱ γὰρ θεμέλιοι παντοίων λίθων ὑπόκεινται. Si saltem haec genuina est lectio. An melius ξύγκεινται legeretur?

Uis nativa τοῦ ὑποτιθέναι est aedificii fundamenta iacere. Cfr. Plat. Timaeus 92 A. θεοῦ βάσεις ὑποτιθέντος πλείους τοῖς μᾶλλον ἄφροσιν. Transfertur hoc modo 5, 90. ἐπειδὴ ὑμεῖς οὕτω παρὰ τὸ δίκαιον τὸ ξυμφόρον λέγειν ὑπόθεσθε. Quoniam statuistis ratione iuris non habita de utilitate esse disceptandum, fundamentum aedificii quod disceptantes structuri sumus erit utilitas.

Ἥ τε ἐλπὶς καὶ ὁ ἔρως ἐπὶ παντί, ὁ μὲν ἡγούμενος, ἡ δ᾽ἐφεπομένη, καὶ ὁ μὲν τὴν ἐπιβουλὴν ἐκφροντίζων ἡ δὲ τὴν εὐπορίαν ὑποτιθεῖσα πλεῖστα βλάπτουσιν. 3, 45, 5. Et spes et cupiditas, haec quidem dux, illa uero comes, haec consilium excogitans, illa fortunae prosperitatem suggerens, plurimum nocent.

Διά τε τὴν προὐπάρχουσαν ἀξίωσιν καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐλπίδα, ἣν ὑπετίθει αὐτῷ δουλώσειν. Cum propter pristinam dignitatem tum etiam propter spem de Graecis, quam ei praebebat, fore ut eos in potestatem suam redigeret. 1, 138, 2. Cfr. 4, 65, 4 εὐπραγία αὐτοῖς ὑποτιθεῖσα ἰσχὺν τῆς ἐλπίδος. Eadem fere translatione utuntur Latini dicentes: Suggerere uel suppeditare, i. e. dare ubi quis consistere possit. Cfr. Cic. Cat. 2, 11, 25. Si omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus (alii: suppeditamur) eget ille. Iam Homerus usus est illa metaphora; item saepius Herod. et Plato.

Legitur 6, 72, 5 στέγεσθαι tegere, quod translatum idem ualet atque occultare. Cfr. 4, 34, 3 ubi habet uim tutandi. Νῆες οὐδὲν στέγουσαι 2, 94, 3 sunt naues non impenetrabiles aquae.

Ξυγκεῖσθαι et ξυντιθέναι inter sese opposita sunt. Hoc proprie suoque sensu occurrit 2, 75, 4. ξύλινον τεῖχος ξυνθέντες. Translate legitur 1, 21, 1. ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ

προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον. 1, 97, 2 *τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ ξυνετίθεσαν.*

Ut opifices aedificium vel aliud, quodcunque est, sic et historici rerumque scriptores conficiunt historiam. Illud transfertur 1, 22, 4, uerbis celebribus illis: *κτῆμα ἐς ἀεὶ ξυγκεῖται,* ut in perpetuum seruetur, liber hic compositus est. Cfr. 6, 36, 2.

Quod iustae est mensurae, ita ut ad usum sit aptum, dicitur *μέτριον.* Inde uariae translationes sunt profectae. 2, 65, 5 *μετρίως* idem ualet ac moderate. *Μετριάζειν* 1, 76, 4 et *μετρίως εἰπεῖν* latine uertendum: modum tenere in dicendo. *Μετρία ξύμβασις* 4, 105, 2 hanc uim habet: deditionis conditiones aequae. Sic *τὰ μέτρια* 8, 84, 5; 4, 19, 3, sunt ea, quae sunt aequa. *Φυλακὴ μετρία* 4, 30, 4 idem est ac custodia mitis et tolerabilis. *Μετρία ἐσθής* est uestitus tenuis ac simplex. Cfr. 1, 6, 4.

Legitur 2, 44, 1 *καὶ οἷς ἐνευδαιμονῆσαί τε ὁ βίος ὁμοίως καὶ ἐντελευτῆσαι ξυνεμετρήθη.* Hic locus diu torsit diuque torquebit, credo, uiros doctos. Cum uero ad nostrum propositum nihil intersit omnia referre quae alii alio modo sunt conati, quod quidquid conantur uiri docti integrum manet verbum *ξυνεμετρήθη,* illa missa facio hoc uno contentus, paucis exponere quid sentiat Herwerdenus.

Cum, ut recte annotat Steupius, nullum sanum praebeat sensum uerbum traditum *ἐντελευτῆσαι,* scripsit *ἐνταλαιπωρῆσαι* Herw. Thucydides enim significare uidetur: in vita hominum nil esse ab omni parte beatum, sed merito felices praedicari eos quibus contingat aut mors honesta aut honesta causa doloris, in quorumue uita aequa lance res aduersae secundis compensentur.

Haec omnia facile intelleguntur; illa uersio uero quam fere omnes, *ἐντελευτῆσαι* qui tuentur, proponunt nimis est torta, quaesita et ad nostrum locum minus apta: „quibus-

cunque concessa est uita quam pari felicitate degerent et finirent".

Huc addere licet εὐθύνειν 1, 95, 5 ad amussim siue ad rubricam dirigere. Inde translatum idem ualet ac condemnare. Cfr. 3, 43, 4 ὑπεύθυνον τὴν παραίνεσιν ἔχοντας. Cui ratio reddenda est dicitur ὑπεύθυνος. Cfr. 3, 43, 4.

Ab arte fingendi hanc sumpsit Thucydides imaginem 6, 58 1. ἀδήλως τῇ ὄψει πλασαμένους πρὸς τὴν ξυμφοράν. Hac uoce solenni (πλάσσειν) utebantur ueteres eos significantes, qui depsebant aut informabant mollem materiam. Hic dicitur de Hippia, qui uultum suum componebat ut quid intus ob calamitatem sentiret, omnes celaret. Πλάσσειν idem est ac simulare. Ab arte fabri ferrarii petita haec occurrit translatio 8, 95, 2. ἀξυγκροτήτοις πληρώμασιν ἀναγκασθέντες χρήσασθαι. Malleo non bene indurati; si saltem scholiastae ad Antig. 430 in uoce εὐκροτήτου fides est habenda. Cfr. Eurip. Electr. 752 εὐκρότητον Δωρίδ' ἁρπάσας χεροῖν. Sic etiam interpretatur Doruillius ad Charit. p. 86.

Sunt igitur classiarii et nautae incompositi, nullo usu subacti. Nam translatio petita est a metallis malleo contusis. Id enim quaeritur utrum bene an male ferrum sit procusum. Luc. Gal. 24 ἵππος συγκεκροτημένη. Dem. 2, 17 Philippi πεζέταιροι uocantur συγκεκροτημένοι τὰ τοῦ πολέμου. Cfr. Xen. Hist. Gr. 6, 2, 12 et Pollux 1, 158 στρατιῶται ἀγύμναστοι, ἀσυγκρότητοι, ἀμελέτητοι. Theocrit. 15, 49 Cass. Dio 38, 45, 2. Polyb. 1, 61, 3. Πληρώματα ξυγκεκροτημένα opposita sunt ἀνασκήτοις καὶ πρὸς καιρὸν ἐμβεβλημένοις.

Huc referenda sunt uerba ἐπικλασθῆναι 3, 67, 2; 3, 59, 1; 4, 37, 1 et καμφθῆναι, quod uno tantum loco 3, 58, 1 occurrit apud Thucydidem. Cfr. Plat. Prot. 320 B. Sensu proprio idem ualent ac: flecti, inde sensu translato: moueri et uinci.

Aurificis ars hanc prouocauit translationem. Βάσανος est lapis Lydius, quo uti solebant, qui aurum probare uellent.

Cfr. Plat. Gorg. 486 D εἰ χρυσῆν ἔχων ἐτύγχανον τὴν ψυχὴν οὐκ ἂν οἴει με ἄσμενον εὑρεῖν τούτων τινὰ τῶν λίθων ᾗ βασανίζουσι τὸν χρυσόν. Latius subinde quaecunque ad hanc artem pertinent uocabula patere coeperunt, ita ut quidquid erat probandum βασανισθῆναι diceretur, imprimis uero cum tormentis aliquem interrogarent. Sic 6, 53, 2 βασανίσαι τὸ πρᾶγμα, accurate explorare.

Ἀβασανίστως 1, 20, 1. Homines enim famam rerum ante suam aetatem gestarum, etsi sint domesticae, sine accurata inquisitione promiscue alii ab aliis accipiunt. Ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται. Scholiasta haec annotat: ἡ λέξις μετενήνεκται ἀπὸ τῆς βασάνου τῆς λίθου, ἥτις τὸν χρυσὸν δοκιμάζει. Cfr. Menand. Rhet. 10, 219.

Ληφθεὶς καὶ βασανιζόμενος, prehensus et in equuleum impositus. Sic legitur 8, 92, 2. Qui Phrynichum ex insidiis occiderat fugit; comprehensus autem is, qui adiuuerat et tormentis interrogatus nullius sceleris auctoris nomen protulit. Cfr. porro 7, 86, 4 μὴ βασανιζόμενος διὰ τὸ τοιοῦτο ταραχὴν σφίσιν ἐν εὐπραγίᾳ ποιήσῃ.

Eandem fere uim ac βασανίζειν habet uerbum δοκιμάζειν, ad obrussam exigere, ut patet ex iis quae Isocr. scripsit ad Demonic. 25 Δοκίμαζε τοὺς φίλους ἔκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας .... τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν. Hinc profecta est haec notio: probare. Uelut 2, 35, 3 ἐπειδὴ δὲ τοῖς πάλαι οὕτως ἐδοκιμάσθη. Quoniam maioribus nostris res probata et ita se bene habere uisa est. Cfr. 3, 38, 5; 6, 53, 2. Ad idem quoque redeunt πεῖραν ποιεῖσθαι 1, 53, 1; 1, 140, 5; 4, 80, 3 πειρᾶσθαι 4, 114, 4. Ἐς πεῖραν ἰέναι 7, 21, 5 et ἐξετάζειν 2, 7, 3. Interdum ut 4, 114, 4 opponitur ἀπειρία.

Saepe et, qui oratione uincta et, qui soluta usi sunt ab arte medica sumpserunt metaphoras, sumpsit et Thucydides.

Uide 6, 14. Persuasum tibi sit te ciuitatis medicum fore, ἰατρὸς ἂν γενέσθαι τῆς πόλεως. Tum 5, 65, 2. Ex senioribus

quidam ad Agidem exclamauit ὅτι διανοεῖται κακὸν (i. e. foedus 5, 60, 1) κακῷ ἰᾶσθαι — malum malo sanare —; quae uerba, opinor, prouerbium sonant, iisque saepe usi sunt complures et scriptores et poetae. Sic Herod. 3, 53; Aeschyl. fragm. 339 Nauckii; Soph. frag. 75 (Stobaeus 4, 37). Paucisque mutatis Plato Prot. 340 D ἰώμενος μεῖζον τὸ νόσημα ποιῶ. Soph. Aiac. 362 μὴ κακὸν κακῷ διδοὺς ἄκος πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει. Agis cum quod sibi crimini daretur sanare uellet periculosam ancipitemque curationem adhibere uidebatur. 5, 63, 3 aliis uerbis significatur idem: ἔργῳ ἀγαθῷ ῥύσεσθαι τὰς αἰτίας, quod uero uerbum ῥύσεσθαι quidam suspicantur non esse Thucydideum.

In praefatione iam uidimus translatione uerbi νοσεῖν, qua ceteri cuiuscunque generis scriptores tam frequenter usi sunt, non usum esse Thucydidem. Non enim metaphorice sunt dicta his quae uerbis continentur: ἀκμαζούσης ἔτι τῆς πόλεως καὶ οὔπω νενοσηκυίας. Summum hoc dici potest coniunctionem uerborum ἀκμάζειν et νοσεῖν satis esse insolitam, illud cum translate hoc uero proprie sit dictum. Hic enim uerborum est sensus: quod respublica adhuc floreret necdum morbo laborasset 2, 31, 2.

At uocabulum νόσημα, ita mihi uir doctus Coenen obloqui conatur, Thucydidi translationi locum dedit. Apud pedestris quoque orationis scriptores — sunt eius uerba — exempla quius translationis occurrunt: Plat. Leg. X, 906 ἐν σώμασι καλούμενον νόσημα ἐν δὲ πόλεσιν ἀδικίαν. Gorg. 480 B τὸ νόσημα τῆς ἀδικίας. Cfr. Thuc. II, 53 ἀνομίας νόσημα [1]). Sed haec qui legit primo somniare se credit tum magnopere miratur cornicis oculos adeo esse confictos.

Aut ipse suis male aut aliorum uidit oculis is, qui cetera

1) F. H. Coenen, Dissert. literaria de Comparationibus et metaphoris apud Atticos praesertim poetas pag. 111.

tam bene uidit[1]). Nulla enim his uerbis Thucydideis inest metaphora, ut καὶ τυφλῷ δῆλον, ni fallor. Totum inspiciamus locum: Πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐς τἆλλα τῇ πόλει ἐπὶ πλέον ἀνομίας τὸ νόσημα. Genitiuus ἀνομίας hic non pendet ex formula ἐπὶ πλέον[2]), ut interpretatur Classenius — cfr. 2, 51, 6, — neque, ut Coenen putat, ex uerbo νόσημα; haec uero iungenda sunt: ἄρξει (ἀρχὴ γενήσεται) ἀνομίας. Apparet luculenter ex iis quae inueniuntur 2, 12, 3 ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. Hic dies Graecis magnorum malorum erit initium; quod dictum Melesippi in animo habuisse Uergilium puto cum scribit: Ille dies primus leti primusque malorum. Aen. 4, 169. Cfr. Sall. Jug. 49 illum diem maximarum aerumnarum initium fore.

Ceterum Scholiasta ad Aristophanis Pacem 426:

σπένδοντες εὐχώμεσθα τὴν νῦν ἡμέραν
Ἕλλησιν ἄρξαι πᾶσι πολλῶν κἀγαθῶν

uerba Thucydidis laudat memoriter sed omisso auctoris nomine: ἥδε ἡ ἡμέρα πολλῶν καὶ μεγάλων κακῶν τοῖς Ἕλλησιν ἄρξει ut ostendat Aristophanem locum Thucydideum esse imitatum.

Sic denique uertendum credo locum de quo egimus: Hic morbus aliis etiam in rebus ciuitati maioris improbitatis fuit initium. Agitur enim de ui quam pestilentia habet in mores. Cfr. Plat. de leg. 4, 709 A. πολλὰ δὲ καὶ νόσοι ἀναγκάζουσι καινοτομεῖν.

Initio qui medicinam exercebant fuisse qui uulgo chirurgi dicuntur uulneraque eos sanasse nemo negabit. Res ipsa

---

1) Huius erroris culpa ubi resideat, uiri doctissimi Pape Lexicon, in uoce νόσημα, qui inspexerit facile coniciet.

2) E. C. Marchant, London 1891 recte interpretatur: to a greater extent (than ever before) since the αἰσχύνη which followed the breach of the ἄγραφοι νόμοι (37, 3) was no longer felt.

loquitur, quod semper ualuit plurimum; hanc tamen uocem qui non audit, Homero certe habebit fidem, qui ipso uerbo ἰᾶσθαι non nisi de sanandis uulneribus usus est saepius. Nil mirum igitur si iam pridem cum mala essent sananda scriptores ab hac medicinae parte sumpserint, qua uti uellent, imaginem. Ἄνευ ἀναμφισβήτων τεκμηρίων βουλεῦσαί τι ἀνήκεστον. 1, 132, 5 sine manifestis indiciis de uiro Spartano aliquid grauius decernere. Hoc uerbo tecte significatur poena capitis, quae poena semel persoluta sanari non potest. Σφαλέντι μηδὲν παθεῖν ἀνήκεστον. 3, 39, 7 grauius quid perpeti. Πρίν τι ἀνήκεστον διὰ μέσου γενόμενον ἡμᾶς καταλαβεῖν, priusquam nobis accidat graue quid, quod sarciri non possit impediatque, quominus inter nos reconciliemur. 4, 20, 1, cfr. 5, 111, 3 ξυμφόραις ἀνηκέστοις, calamitatibus desperatis.

Qui sequitur locus silentio non praetereundus uidetur: 3, 45, 5 ὡς ἑκάστη τις κατέχεται ὑπ' ἀνηκέστου τινὸς κρείσσονος. Quod sciam, haec verba omni dubio maiora uisa sunt uiris doctis. Est tamen quod dubitem sintne reuera a Thucydide sic scripta. Hoc quidem utuntur testimonio, quod recte dicitur ἀκεῖσθαι παθήματα; at si πάθημα illud uehemens, de quo agitur, uoce κρεῖσσον significatur, duae inepte permixtae sunt imagines et non sine molestia uerbo ἀνηκέστῳ sedandi explendique subicitur notio. Quid si pro ἀνηκέστου legamus ἀνικήτου? Ita omnia mihi uidentur expedita et multo elegantius, qua semel usus est, perseuerat imagine Thucydides. Optime enim inter se congruunt ἀνίκητον, κρεῖσσον et κατέχεσθαι. Haec uidetur esse sententia: prout singuli constricti tenentur aliqua cupiditate uehementiore, quam quae uinci possit.

Hoc idem ad genus pertinent, quae sequuntur: ἀνάληψις 5, 65, 2 (hoc uno loco apud Thucydidem occurrit); scholiasta interpretatur: θεραπείαν, κατόρθωσιν. Sententia illustratur uerbis quae 5, 63, 3 leguntur: λύσεσθαι τὰς αἰτίας se dicit Agis.

Cfr. Polyb. 3, 87, 1 *μεγάλην ἐποιεῖτο σπουδὴν ὑπὲρ τῆς ἀναλήψεως καὶ θεραπείας τῶν ἀνδρῶν.* Homines illi laborabant scabie, cuius causa est penuria alimentorum ususque ciborum insalubrium; *λιμόψωρον* dico. Cfr. Thucyd. 6, 26, 2 *ἄρτι δ' ἀνειλήφειν ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου.* Cfr. Soph. Phil. 1249 *τὴν ἁμαρτίαν ἀναλαβεῖν πειράσομαι*, et Eurip. Ion. 426 ubi Herwerdenus uertit: reparare. Hi igitur eadem usi sunt translatione. Cfr. etiam Xen. Hel. 6, 5, 21.

Huc mihi quidem pertinere uidetur 2, 16, 1 *ἄλλως τε καὶ ἄρτι ἀνειληφότες τὰς κατασκευὰς μετὰ τὰ Μηδικά.* Eam huius uocis sententiam alii interpretantur ut idem ualeat ac quod de manibus excidit tollere; at secum ut facerem me adducere non potuerunt. Ad idem genus reuocandum uidetur *τὸ ἀναφέρειν*, 8, 97, 2 *καὶ ἐκ πονήρων τῶν πραγμάτων γενομένων τοῦτο πρῶτον ἀνήνεγκε τὴν πόλιν.* Hoc primum ciuitatem afflictam erexit. Cfr. Plut. Ages. 5.

Ceteroqui non cadit in consuetudinem hoc uerbum, nisi quod posteriores de medendis aegrotis intransitiue, ut dicitur, eo sunt usi.

Ubi morbus ibi saepe contagio, quae sensim longius serpit et in plures uulgatur. *Νομίσαντες εἰ μὴ προκαταλήψονται ἐν τάχει ἐπὶ πλέον χωρήσεσθαι αὐτά.* 5, 57, 1 metuebant ne societatum defectio longius serperet. Cfr. 7, 50, 3 quem locum corruptum quidem sed non desperatum esse ostendit Herwerdenus. Cic. Att. 1, 13, 3 eadem similitudine usus est haec scribens: uereor ne hoc quod infectum est serpat longius.

Haec leguntur apud Thucydidem 4, 4, 2 Uasorum inopia ibant curuati manibus in tergo consertis lutum tenentes: *τὼ χεῖρε ἐς τοὐπίσω ξυμπλέκοντες.* Hic quidem ueram translationem non habemus attamen uerbo *ξυμπλέκειν*, connectere, contexere, paullo insolentius aut per *κατάχρησιν* hoc uno loco usus est auctor noster.

Huc pertinere uidetur *φορμηδόν*, quod uocabulum bis apud

Thucydidem occurrit: in modum tegumenti uel storeae textum, i. e. decussatim siue tabulatim. Cfr. 2, 75, 2 ξύλα.... φορμηδὸν ἀντι τοίχων τιθέντες, ligna storearum instar murorum loco collocantes. 4, 48, 4 αὐτοὺς.... φορμηδὸν ἐφ' ἁμάξας ἐπιβαλόντες; ubi scholiasta annotat: τοὺς μὲν κατὰ μῆκος αὐτῶν τιθέντες, ἄλλους δὲ πλαγίως ἐπιβάλλοντες.

Saepe quod textum fuit dissoluitur. Inde huiuscemodi profectae sunt translationes: Λύειν γέφυραν 6, 66, 2 rescindere quod est coniunctum, i. e. ipsum pontem pluribus iunctum partibus dissoluere. At non deerunt, qui putent id esse intellegendum ripas ponte prius iunctas destruendo ponte solui. Fieri tamen potest ut translatio ad aliud reuocanda sit genus, ita ut iugum sit origo unde haec metaphora sit profecta. Non solum enim dicitur ζευγνύναι γέφυραν (Herod. 4, 88 et sic saepius) sed etiam ζευγνύναι ποταμόν, Ἑλλήσποντον (Herod. 7, 24—157 Pol. 5, 52, 4) ita ut qui pontem tollit demat iugum flumini, cfr. Curt. 5, 1 imponere pontem flumini.

Porro sic legitur 1, 42, 3 λῦσαι ἔγκλημα et λύειν τὰς ἐπικειμένας ζημίας 8, 15, 1; διαλύεσθαι ἔχθρας 4, 19, 2 καταλύειν τὸ κοινὸν ἀγαθόν 5, 90 διαλύειν τὰς σπονδὰς 5, 36, 1 καταλύειν μονάρχους 1, 122, 3 διαλύειν τὰ ἀμφίλογα 4, 118, 8 καταλῦσαι τὴν ἐλπίδα 2, 89, 10 καταλύειν τὸν δῆμον, sed iam satis; quaerenti plura occurrent.

Quoniam hoc ministerium uerbo tetigi et alia ministeria tractanda uidentur. Sunt qui nectunt ξυνάπτουσιν aliique rursus quod nexum est soluunt. Unde metaphorice dictum ξυνάπτειν πόλεμον et καταλύεσθαι 6, 13, 2; cfr. 6, 36, 4; 4, 18, 4; 1, 81, 5.

Hoc sensu occurrit διαλύεσθαι, reconciliari 5, 80, 1 ἀπολύσασθαι τὴν αἰτίαν crimine se purgare 5, 75, 3. φόβου ἀπολύεσθαι metu liberari 7, 56, 2 παραλύειν τῆς ὀργῆς 2, 65, 1 iram mitigare; uerbo hoc παραλύειν tum imprimis utuntur scriptores cum quis magistratu remouetur, cfr. 7, 16, 1; 8,

54, 3. Apud Atticos hoc uno loco occurrit haec translatio ἀρχῆς παραλύειν; alii postea, ut Luc. Uerae Hist. 1, 19, sunt imitati. 5, 3, 4 λυθεὶς ἀνὴρ ἀντ' ἀνδρός, captiuis singulis pro singulis commutatis. Cfr. 2, 113.

Ξυνδέσμοι sunt ligamenta. Sic 2, 102, 4 insulae uocantur, quae tam crebrae et sic positae sunt, ut flumen impeditum caenum ipsis opponat.

Hic suam sedem habeant translationes, quae cum his propinquitate quadam sunt coniunctae. Περιρρήγνυσθαι dicitur de exercitus alis, quae distrahuntur. 5, 73, 1; cfr. παραρρηγνύναι 4, 96, 6; 6, 70, 2 ordines perrumpere. Sic διασπᾶσθαι de acie 5, 70 de exercitu 7, 78, 1 et saepius.

Multa saepe ut ferrum aliaque metalla et cera, corium aliaque id genus ab opificibus molliuntur ut tractabilia fiant. Inde orta est metaphora, quae indicat homines ignavos atque eneruatos. Sic 2, 42, 4 horum autem nemo eneruatus est — ἐμαλακίσθη — divitiis. Cfr. 2, 43, 6. 3, 37, 2. 5, 72, 1. 7, 68, 3. etc. Uocabulum μαλακία translatum occurrit 2, 40, 1. 5, 7, 2. 5, 75, 3 et saepius.

Multa enumerari possunt, quae miscendo cotidie homo ad uarios usus sibi accommodat; quare facile eiusmodi uerba ut transferret adduci potuit. Singulis fere paginis, ut ita dicam, apud scriptores occurrunt uerba μειγνύναι et κεραννύναι. Quid autem uerbum a uerbo differat prius uidetur demonstrandum. In uniuersum, ni fallor, hoc statui potest. Qui de industria ac consulto miscet quaedam, quae mixta saepe in meliore quam antea sint conditione futura, dicitur κεραννύναι, temperare; quae uero aut natura aut fortuito miscentur aut non ideo ut mixta miscendis sint meliora, μείγνυσθαι dixerunt ueteres. Sic 6, 5, 2 φωνὴ μὲν μεταξὺ τῆς τε Χαλκιδέων καὶ Δωρίδος ἐκράθη lingua ita erat temperata, ut medium quoddam genus Chalcidicam inter et Doricam obtineret. 8, 97, 2 μετρία γὰρ ἥ τε ἐς τοὺς ὀλίγους καὶ ἐς τοὺς πολλοὺς

ξύγκρασις ἐγένετο, utriusque factionis, paucorum et multitudinis, in unum redactae moderatum extitit temperamentum. Cfr. 6, 18, 6.

Praecipuae translationes a miscendo sumptae hae sunt: ἐπεμείγνυντο, commercia inter se habebant 1, 146 et 1, 2, 2. ἀμιξία 1, 3, 5 genus uitae mutuo commercio destitutum. Προσμειγνύναι dicitur de concursu pugnantium 2, 39, 3. Idem ualet ac peruenire 3, 29, 1. idem ac proelium committere 4, 85, 7. idem ac congregari 5, 58, 1. idem ac appropinquare 7, 70, 1. — Semel 8, 102, 1 occurrit ὑπομείξαντες. (schol. ἐγγίσαντες) quam maxime secreto appropinquare. Verbum est intransitiuum quod dicitur. Plato Phileb. 47 A transitiue utitur. Ξυμμιχθῆναι 2, 31, 1 dicitur de militibus, qui sese cum aliis iunxerunt. Uulgo dicitur ξυμμεῖξαι. Ξύμμεικτοι ἄνθρωποι sunt homines mixti 6, 4, 6. Cfr. 4, 106, 1. Ἄμικτα νόμιμα 1, 77, 6 sunt instituta quae uehementer a ceteris abhorrent. Sic legitur 3, 107, 4 ἀναμίξ promiscue. Sequitur uerbum ξυμμίσγειν quod in utramque partem usuvenit, in bonam partem de nauibus 2, 84, 5, de militibus 3, 110, 1, in malam partem de concursu agminum 1, 49, 1. 5, 9, 7. 7, 6, 2. et saepius.

Legitur 5, 8, 2 καθαρόν lectissima manus militum, ut quidam interpretantur. Cfr. Herod. 4, 135 ubi oppositum est hoc uerbum τοῖς ἀνθρώποις οἳ ἀσθενείης εἵνεκεν κατελείποντο et 1, 211, ubi opponitur τῷ ἀχρηίῳ. At equidem credo scholiastam rem acu tetigisse, cum interpretaretur αὐτῶν τῶν πολιτῶν; erant meri Athenienses. Cfr. Plut. Aem. Paul. 6. Restat ut addantur uocabula ἀκραίφνης integer 2, 18, 5, quo poetae saepe utuntur et ἀκέραιος, quod idem ualet 3, 3, 1 et saepius. Agmen claudant ξυγχέειν τὰς σπονδάς 5, 59, 3 et ξύγχυσις τῶν σπονδῶν 5, 26, 6; confusione soluitur integritas.

Operariis quoque et baiulis opus est quorum auxilio opificum labores alleuentur. Imprimis onera suscipiunt et por-

tant. Hae sunt praecipuae translationes, quae inde sunt natae: 6, 1, 1 ἀναιρεῖσθαι πόλεμον, suscipere bellum 6, 9, 1 ἄρασθαι πόλεμον. Cfr. 1, 118, 2. Legitur 1, 77, 5 τὸ παρὸν γὰρ ἀεὶ βαρὺ τοῖς ὑπηκόοις, praesens rerum status subditis semper grauis. Ex iis, quae proxime praecedunt χαλεπή et ἠνείχοντο apparet hic cogitandum esse baiulum, qui onus se grauius sustinere putet. Cfr. 1, 77, 3 χαλεπώτερον φέρουσιν, 2, 60, 4 φέρειν ξυμφόρας. Onere angi dicitur βαρύνεσθαι 2, 64, 6, cui verbo oppositum est κουφίζεσθαι, 2, 44, 4 καὶ τῇ τῶνδε εὐκλείᾳ κουφίζεσθε et horum leuamini gloria. Sic κούφισις 7, 75, 6 occurrit: cum multis simul pati aliquid levamenti solet habere. Cfr. illud Uergilii: Solamen miseris socios habuisse malorum. Interpretans 2, 51, 6, scholiasta errore lapsus est haec cum scriberet: κουφιζούσης αὐτοὺς ἀπὸ τῆς λύπης. Equidem credo haec uerba, ἐλπίδος τι εἶχον κούφης, interpretari qui uelit, ea ad Soph. Antig. 615 revocet oportet: „uaga spes multorum animos leues cupidosque decipit", et ad Horat. Epist. 1, 5, 8 mitte leves spes. Eandem fere sententiam atque βαρύνειν uerbum πιέζειν habet. 2, 58, 2 ἐπίεζε ἡ νόσος. Cfr. 7, 47, 2; 7, 50, 3; 2, 51, 1, multique alii loci.

Alicuius artis peritus dicitur artifex, cui saepe ubi agitur de inscitia, opponitur rudis. Sic etiam apud nos inter sese opponuntur „leeken" et „virtuozen". Unde haec profecta translatio. 6, 72, 3 ἰδιώτας, ὡς εἰπεῖν χειροτέχνας. Rei militaris imperiti opponuntur χειροτέχναις, opificibus, siue iis qui bellicam artem callent. Cfr. Plato Soph. 221 C. ἰδιώτην ἤ τινα τέχνην ἔχοντα. Legg. 916 B. Porro operae pretium est animaduertere qui ἰδιώτης, scriptor prosae orationis opponatur ποιητῇ Plat. Symp. 178 B.

Quicunque operantur indigent instrumentis, ut quod parent perficiant opus. Hebescere solent usu haec instrumenta; acuantur igitur suo tempore oportet. Hic quoque translationum uberrimus fuit fons. Quare absurda res est, opinor,

facere ut fecit uir doctissimus Coenen, qui ceteroqui prudenter de hac re disputauit. Suae enim dissertationi addidit caput quintum, quo egit de iis translationibus, quae certum ad genus referri non possint. Multo melius Dronkers hanc metaphoram sumptam esse ex artibus, quae cotidie ab hominibus tractantur, contendit. Adiectiuum *ὀξύς* et aduerbium *ὀξέως* modo indicant celeritatem 1, 70, 2: *ὀξεῖς ἐπινοῆσαι* celeres ad excogitandum, cfr. 5, 64, 2; 6, 10, 5 — et saepius opponitur *τὸ ὀξὺ τῷ βραδεῖ*, cfr. 8, 96, 5 — modo alacritatem ut 2, 8, 1 *ἀρχόμενοι γὰρ πάντες ὀξύτερον ἀντιλαμβάνονται*, omnes enim incipientes acrius rem agere solent; ubi scholiasta annotat: *γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος*. Cfr. 6, 12, 2; 4, 126, 6; 3, 82, 4 aliique loci complures.

Occurrit rei militaris terminus technicus, qui dicitur, 2, 11, 9 *ὀξέως δέχονται τὰ παραγγελλόμενα*, quod praecipitur diligenter exequuntur. Cfr. 2, 89, 9. Uerbum *παροξύνειν* proprie idem est atque acuere; translatum saepe habet uim stimulandi uel excitandi. 6, 88, 10 *Ὁ Ἀλκιβιάδης παρώξυνέ τε τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ ἐξώρμησε λέγων*. Cfr. 5, 99; 1, 67, 5; 1, 84, 2. Restat ut agamus de iis, quae ad idem genus pertinentia significant contraria; 2, 87, 3 legimus *οὐδὲ δίκαιον .... τῆς γε ξυμφορᾶς τῷ ἀποβάντι ἀμβλύνεσθαι*, nec conuenit animos calamitatis euentu debilitari. De adiectiuo *ἀμβλύς* haec duo notanda: non nisi comparatiuo gradu usus Thucydides hoc transtulit uocabulum eique aut inertiae aut torporis notio est subiecta. Qui vero accepit beneficia segnior est in gratia referenda 2, 40, 4, *ὁ δ' ἀντοφείλων ἀμβλύτερος*. Cfr. 3, 38, 1 *τὰ ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἀμβλύτερα ἐποίουν*, propter priuatas simultates de populi principatu contendentes quae militiae gerebantur, debilitarunt. Cfr. 2, 65, 3 *ἃ μὲν περὶ τὰ οἰκεῖα ἕκαστος ἤλγει ἀμβλύτεροι ἤδη ὄντες*, ad dolorem iacturae, quam singuli priuatim fecerant, animus iam hebetior erat (vel obduruerat).

Earum notionum, quae rerum significant proprietates communes ut magnum, paruum, longum, breue idque genus alia, paene numero carent translationes et non est dubitandum quin iam primis temporibus a rebus uisu tactuque manifestis in ea, quae cogitationi tantum sunt subiecta, uelut tempus, sensus, animi affectus ingenii dotes aliaque corpore uacantia sint translatae. Sunt qui singillatim [1]) agunt de eiusmodi metaphoris, quos uero imitari non opus esse putaui, cum suum possint habere locum in iis quas uidimus ab artificiis esse sumptas. Praecipuae hae sunt: Βραχεῖα πρόφασις 6, 8, 4 leuis praetextus, cfr. 3, 39, 7; 1, 141, 1; βραχείᾳ βουλῇ 6, 9, 1 festinato decreto; ἀπὸ βραχείας διανοίας 3, 36, 2 leui consilio; τὸ διδόμενον βραχύ 8, 83, 3 quod exiguum esset quod daretur; βραχὺ καὶ οὐδενὸς ἄξιον 8, 76, 6 adiumentum paruum et plane contemnendum.

Legitur 2, 61, 2 ταπεινὴ ὑμῶν ἡ διάνοια ἐγκαρτερεῖν οἷς ἔγνωτε abiectis animis estis ad sustinenda ea, quae constituistis.

5, 71, 3 inuenitur uocabulum διακένον, spatium uacuum in acie.

Sic 5, 71, 3 explere spatium uacuum in acie, πληροῦν. Cfr. 1, 70, 7 ἐπλήρωσαν τὴν χρείαν defectum expleuerunt. 3, 82, 8 ἐκπιμπλάναι φιλονικίαν contentionis libidinem explere. 7, 68, 1 ἀποπλῆσαι τὸ θυμούμενον iracundiam animi saturare. Cfr. Xenoph. Anab. 1, 7, 8, Plat. Gorg. 503 C, Legg. 717 D. Legitur 2, 51, 4 καὶ ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείᾳ ἀναπιμπλάμενοι ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον, quod contagione, quam alter ex alterius curatione hauriebat, infecti tamquam pecudes morerentur. Cfr. Plut. Pericl. 34; Liu. 4, 30 repletus. Ut postea Galenus, sic iam ueteres hoc uerbo usi sunt, ubi infectio morbi erat indicanda. Cfr. etiam Plat. Phaedr. 67 A et ἀναπλέως 83 D. Saepius occurrit uerbum κινεῖν, ut 6, 34, 3

1) Cfr. Blümmer, libro saepius laudato.

quidam ad Agidem exclamauit ὅτι διανοεῖται κακὸν (i. e. foedus 5, 60, 1) κακῷ ἰᾶσθαι — malum malo sanare —; quae uerba, opinor, prouerbium sonant, iisque saepe usi sunt complures et scriptores et poetae. Sic Herod. 3, 53; Aeschyl. fragm. 339 Nauckii; Soph. frag. 75 (Stobaeus 4, 37). Paucisque mutatis Plato Prot. 340 D ἰώμενος μεῖζον τὸ νόσημα ποιῶ. Soph. Aiac. 362 μὴ κακὸν κακῷ διδοὺς ἄκος πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει. Agis cum quod sibi crimini daretur sanare uellet periculosam ancipitemque curationem adhibere uidebatur. 5, 63, 3 aliis uerbis significatur idem: ἔργῳ ἀγαθῷ ῥύσεσθαι τὰς αἰτίας, quod uero uerbum ῥύσεσθαι quidam suspicantur non esse Thucydideum.

In praefatione iam uidimus translatione uerbi νοσεῖν, qua ceteri cuiuscunque generis scriptores tam frequenter usi sunt, non usum esse Thucydidem. Non enim metaphorice sunt dicta his quae uerbis continentur: ἀκμαζούσης ἔτι τῆς πόλεως καὶ οὔπω νενοσηκυίας. Summum hoc dici potest coniunctionem uerborum ἀκμάζειν et νοσεῖν satis esse insolitam, illud cum translate hoc uero proprie sit dictum. Hic enim uerborum est sensus: quod respublica adhuc floreret necdum morbo laborasset 2, 31, 2.

At uocabulum νόσημα, ita mihi uir doctus Coenen obloqui conatur, Thucydidi translationi locum dedit. Apud pedestris quoque orationis scriptores — sunt eius uerba — exempla quius translationis occurrunt: Plat. Leg. X, 906 ἐν σώμασι καλούμενον νόσημα ἐν δὲ πόλεσιν ἀδικίαν. Gorg. 480 B τὸ νόσημα τῆς ἀδικίας. Cfr. Thuc. II, 53 ἀνομίας νόσημα [1]). Sed haec qui legit primo somniare se credit tum magnopere miratur cornicis oculos adeo esse confictos.

Aut ipse suis male aut aliorum uidit oculis is, qui cetera

---

1) F. H. Coenen, Dissert. literaria de Comparationibus et metaphoris apud Atticos praesertim poetas pag. 111.

tam bene uidit[1]). Nulla enim his uerbis Thucydideis inest metaphora, ut καὶ τυφλῷ δῆλον, ni fallor. Totum inspiciamus locum: Πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐς τἆλλα τῇ πόλει ἐπὶ πλέον ἀνομίας τὸ νόσημα. Genitiuus ἀνομίας hic non pendet ex formula ἐπὶ πλέον[2]), ut interpretatur Classenius — cfr. 2, 51, 6, — neque, ut Coenen putat, ex uerbo νόσημα; haec uero iungenda sunt: ἄρξει (ἀρχὴ γενήσεται) ἀνομίας. Apparet luculenter ex iis quae inueniuntur 2, 12, 3 ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. Hic dies Graecis magnorum malorum erit initium; quod dictum Melesippi in animo habuisse Uergilium puto cum scribit: Ille dies primus leti primusque malorum. Aen. 4, 169. Cfr. Sall. Jug. 49 illum diem maximarum aerumnarum initium fore.

Ceterum Scholiasta ad Aristophanis Pacem 426:

σπένδοντες εὐχώμεσθα τὴν νῦν ἡμέραν
Ἕλλησιν ἄρξαι πᾶσι πολλῶν κἀγαθῶν

uerba Thucydidis laudat memoriter sed omisso auctoris nomine: ἥδε ἡ ἡμέρα πολλῶν καὶ μεγάλων κακῶν τοῖς Ἕλλησιν ἄρξει ut ostendat Aristophanem locum Thucydideum esse imitatum.

Sic denique uertendum credo locum de quo egimus: Hic morbus aliis etiam in rebus ciuitati maioris improbitatis fuit initium. Agitur enim de ui quam pestilentia habet in mores. Cfr. Plat. de leg. 4, 709 A. πολλὰ δὲ καὶ νόσοι ἀναγκάζουσι καινοτομεῖν.

Initio qui medicinam exercebant fuisse qui uulgo chirurgi dicuntur uulneraque eos sanasse nemo negabit. Res ipsa

---

1) Huius erroris culpa ubi resideat, uiri doctissimi Pape Lexicon, in uoce νόσημα, qui inspexerit facile coniciet.

2) E. C. Marchant, London 1891 recte interpretatur: to a greater extent (than ever before) since the αἰσχύνη which followed the breach of the ἄγραφοι νόμοι (37, 3) was no longer felt.

loquitur, quod semper ualuit plurimum; hanc tamen uocem qui non audit, Homero certe habebit fidem, qui ipso uerbo *ἰᾶσθαι* non nisi de sanandis uulneribus usus est saepius. Nil mirum igitur si iam pridem cum mala essent sananda scriptores ab hac medicinae parte sumpserint, qua uti uellent, imaginem. *Ἄνευ ἀναμφισβήτων τεκμηρίων βουλεῦσαί τι ἀνήκεστον.* 1, 132, 5 sine manifestis indiciis de uiro Spartano aliquid grauius decernere. Hoc uerbo tecte significatur poena capitis, quae poena semel persoluta sanari non potest. *Σφαλέντι μηδὲν παθεῖν ἀνήκεστον.* 3, 39, 7 grauius quid perpeti. *Πρίν τι ἀνήκεστον διὰ μέσου γενόμενον ἡμᾶς καταλαβεῖν,* priusquam nobis accidat graue quid, quod sarciri non possit impediatque, quominus inter nos reconciliemur. 4, 20, 1, cfr. 5, 111, 3 *ξυμφόραις ἀνηκέστοις,* calamitatibus desperatis.

Qui sequitur locus silentio non praetereundus uidetur: 3, 45, 5 *ὡς ἑκάστη τις κατέχεται ὑπ' ἀνηκέστου τινὸς κρείσσονος.* Quod sciam, haec verba omni dubio maiora uisa sunt uiris doctis. Est tamen quod dubitem sintne reuera a Thucydide sic scripta. Hoc quidem utuntur testimonio, quod recte dicitur *ἀκεῖσθαι παθήματα*; at si *πάθημα* illud uehemens, de quo agitur, uoce *κρεῖσσον* significatur, duae inepte permixtae sunt imagines et non sine molestia uerbo *ἀνηκέστῳ* sedandi explendique subicitur notio. Quid si pro *ἀνηκέστου* legamus *ἀνικήτου*? Ita omnia mihi uidentur expedita et multo elegantius, qua semel usus est, perseuerat imagine Thucydides. Optime enim inter se congruunt *ἀνίκητον, κρεῖσσον* et *κατέχεσθαι.* Haec uidetur esse sententia: prout singuli constricti tenentur aliqua cupiditate uehementiore, quam quae uinci possit.

Hoc idem ad genus pertinent, quae sequuntur: *ἀνάληψις* 5, 65, 2 (hoc uno loco apud Thucydidem occurrit); scholiasta interpretatur: *θεραπείαν, κατόρθωσιν.* Sententia illustratur uerbis quae 5, 63, 3 leguntur: *ῥύσεσθαι τὰς αἰτίας* se dicit Agis.

Cfr. Polyb. 3, 87, 1 *μεγάλην ἐποιεῖτο σπουδὴν ὑπὲρ τῆς ἀναλήψεως καὶ θεραπείας τῶν ἀνδρῶν*. Homines illi laborabant scabie, cuius causa est penuria alimentorum ususque ciborum insalubrium; *λιμόψωρον* dico. Cfr. Thucyd. 6, 26, 2 *ἄρτι δ' ἀνειλήφειν ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου*. Cfr. Soph. Phil. 1249 *τὴν ἁμαρτίαν ἀναλαβεῖν πειράσομαι*, et Eurip. Ion. 426 ubi Herwerdenus uertit: reparare. Hi igitur eadem usi sunt translatione. Cfr. etiam Xen. Hel. 6, 5, 21.

Huc mihi quidem pertinere uidetur 2, 16, 1 *ἄλλως τε καὶ ἄρτι ἀνειληφότες τὰς κατασκευὰς μετὰ τὰ Μηδικά*. Eam huius uocis sententiam alii interpretantur ut idem ualeat ac quod de manibus excidit tollere; at secum ut facerem me adducere non potuerunt. Ad idem genus reuocandum uidetur *τὸ ἀναφέρειν*, 8, 97, 2 *καὶ ἐκ πονήρων τῶν πραγμάτων γενομένων τοῦτο πρῶτον ἀνήνεγκε τὴν πόλιν*. Hoc primum ciuitatem afflictam erexit. Cfr. Plut. Ages. 5.

Ceteroqui non cadit in consuetudinem hoc uerbum, nisi quod posteriores de medendis aegrotis intransitiue, ut dicitur, eo sunt usi.

Ubi morbus ibi saepe contagio, quae sensim longius serpit et in plures uulgatur. *Νομίσαντες εἰ μὴ προκαταλήψονται ἐν τάχει ἐπὶ πλέον χωρήσεσθαι αὐτά*. 5, 57, 1 metuebant ne societatum defectio longius serperet. Cfr. 7, 50, 3 quem locum corruptum quidem sed non desperatum esse ostendit Herwerdenus. Cic. Att. 1, 13, 3 eadem similitudine usus est haec scribens: uereor ne hoc quod infectum est serpat longius.

Haec leguntur apud Thucydidem 4, 4, 2 Uasorum inopia ibant curuati manibus in tergo consertis lutum tenentes: *τὼ χεῖρε ἐς τοὐπίσω ξυμπλέκοντες*. Hic quidem ueram translationem non habemus attamen uerbo *ξυμπλέκειν*, connectere, contexere, paullo insolentius aut per *κατάχρησιν* hoc uno loco usus est auctor noster.

Huc pertinere uidetur *φορμηδόν*, quod uocabulum bis apud

Planta cum floret pulcherrimam se ostendit; quare saepe poetae floris florendique uocabula transtulerunt, ut quod sibi optimum uideretur aut in suo genere perfectum elegantius indicarent. Hoc uno loco haec translatio inuenitur apud Thucydidem 4, 133, 1 ὅ τι ἦν αὐτῶν ἄνθος. Scholiasta sic interpretatur: τὸ ἀκμαιότατον, qui erant in flore aetatis. Sic etiam Liu. 10, 38, quod roboris in Samnio erat. 27, 4, 4 omne quod roboris, quod floris fuerat. Eurip. Hel. 1593 ὦ γῆς Ἑλλάδος λωτίσματα Uerg. Aen. 8, 499 O Maeoniae delecta iuuentus Flos ueterum uirtusque uirum. Nusquam alibi scriptores uoci ἄνθος hanc uim subiciunt. Hic quoque Thucyd. ut saepius imitatus est poetas. Cfr. Hom. Il. 13, 484, Tyrtaeus 11, 28, Theognis 994; 1008; 1070, Pind. P. 4, 158, Aesch. Supp. 644, Pers. 59, Ag. 190, Soph. Tr. 546.

Nonnunquam etiam quod floris similitudinem prae se fert dicitur florere. Sic apud Thucydidem 2, 49, 5 σῶμα φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός. Multo uero accuratius Alciphron idem dicit Rhet. 3, 68, 2 τὸ δέρμα καὶ φλυκταίνας ἐπινωτίους ἐξήνθησεν; nam proprie non corpus sed ipsae pustulae efflorescere dicuntur. Ad medicorum artem hoc uerbum pertinet; cfr. ἐξάνθημα, scabies, impetigo idque genus alia. Saepius posteriores transitiue hoc uerbo sunt usi, ita ut uim efferendi emittendique obtineret. Cfr. Luc. Dial. Mort. 20, 4 ὁ τὰς φλυκταίνας ἐξηνθηκώς et Piscat. 6 τὰ σώματα λέπραν ἐξανθεῖ, et Eum. 16. Hoc nostro loco uerbi uis ea est ut ualeat idem ac quasi floribus uarium esse et distinctum. Cfr. lepide dictum Luc. V. H. 2, 30. Legitur 1, 19 et ipsorum apparatus ad hoc bellum maior exstitit (ἢ ὡς τὰ κράτιστά ποτε μετ' ἀκραιφνοῦς τῆς ξυμμαχίας ἤνθησαν) quam fuerat olim cum in summo flore essent, cum integra societate constituti. Tempus quod proxime praecedit maturitatem, in Attica igitur mensem Maium ad finem uergentem maioremque Iunii partem indicant uocabula ἀκμή et ἀκμάζειν.

Saepius sensu proprio inueniuntur, ut 3, 1, 1; 2, 19, 1; 4, 2, 1 [1]).

Sensu translato occurrunt 1, 1, 1 ὅτι ἀκμάζοντές τε ἦσαν (ᾖσαν?) ἐς αὐτὸν (τὸν πόλεμον) παρασκευῇ πάσῃ. Omnibus rebus instructi paratique ad bellum. Sic eodem fere modo dictum est 2, 8, 1 ἔρρωντο ἐς τὸν πόλεμον. Unde fortasse nonnulli (1, 1, 1) coniecerunt pro ἦσαν esse legendum ᾖσαν.

De morbo hac utitur translatione Thucydides 3, 3, 1; 2, 49, 6. De re nauali 7, 12, 3; 7, 14, 1 βραχεῖα ἀκμὴ πληρώματος, ipsum robur rei naualis exiguum est [2]). Perperam scholiasta temporis rationem esse habendam contendit. Krugerus quoque eandem ingressus est uiam prouocatque ad 7, 12, 2. Sed recte Bauer (ad 1, 14, 2 βραχέα ναυτικά) demonstrat non de temporis breuitate sed de paucitate uirorum intellegendum esse uocabulum βραχύ [3]). Βραχύς saepe idem ualet ac μικρός cfr. 1, 130; 1, 140 et alibi. Sic interdum occurrit etiam uocula breuis. Tac. Ann. 6, 35. Praeterea uerba καὶ ὀλίγοι — τὴν εἰρεσίαν impedire uidentur quominus assentiamur iis, qui a nobis dissentiunt; quamquam et haec suum Oedipum expectant, ut dicit Herwerdenus. Pulcherrime uertit Ualla: Classiariae multitudinis flos. Cfr. 7, 63, 4 ἕως ἤκμαζε τὸ ναυτικόν et 8, 46, 5 τὴν ἀκμὴν τοῦ ναυτικοῦ.

Utitur etiam hac translatione Thucydides de urbe 2, 31, 2 ubi inter sese opponuntur hae duae notiones: ualere et aegrotare, de gloria 2, 22, 4 ἅμ' ἀκμῇ τῆς δόξης, de homine 6, 7, 1 ἕως ἔτι ἀκμάζω dicit Alcibiades. Possum plura afferre,

---

1) Simili quodam modo et alia anni tempora indicantur. 4, 1, 1 περὶ σίτου ἐκβολήν. Cum segetes spicas emittere inciperent et 4, 6, 1 σίτου ἔτι χλωροῦ ὄντος.

2) Holden sic vertit: the really efficient part of a ship's crew is but small. Et eodem modo Classenius: der wahrhaft tüchtige Teil einer Schiffsmannschaft ist immer nur klein.

3) Rarus est classiariae multitudinis uigor (Bauer).

sed quae attuli sufficiunt. Tamen non praetereundum uidetur hoc: 6, 54, 2 legitur *ὥρᾳ ἡλικίας* in flore aetatis; ad idem enim reuocandum genus.

Tandem tempus adest demetendis colligendisque fructibus aptum. Ex hoc quoque fonte translationes manarunt. 5, 28, 2 *οὐ ξυναράμενοι τοῦ 'Αττικοῦ πολέμου ἀμφοτέροις δὲ μᾶλλον ἔνσπονδοι ὄντες ἐκκαρπωσάμενοι.* Bello Peloponnesiaco exorto Argiui medios se tenuerant pactique cum utrisque suos perceperant fructus. Praepositio *ἐξ* ad stirpem spectat unde fructus carpuntur. Sic mihi hic locus uidetur interpretandus erratque scholiasta haec scribens *τοὺς καρποὺς καὶ τὰς προσόδους λαβόντες ἀπὸ τῆς γῆς ἀκεραίους διὰ τὸ μὴ πολεμεῖν.* Eiusmodi interpretationi repugnat sermonis contextus. Scholiastae sine dubio ignota erant quae scripsit Diod. Sicul. 12, 75, 6 *πρός τε τούτοις πολὺν χρόνον εἰρήνην ἔχουσα προσόδους μεγίστας ἐλάμβανε καὶ πλῆθος οὐ μόνον χρημάτων εἶχεν, ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν.* Uidet nisi qui caligat in sole haec uerba nostrae fauere interpretationi. Neque audiendus est Pape (in Lexico sub uoce) cum dicit hoc loco verbum de quo agitur exhauriendi uexandique uim obtinere. Haec enim sententia omnino aliena est ab iis quae dicere sibi proposuit Thucydides. Quam uult Pape notio huic uerbo subiecta est apud Dem. 24, 2 *τῶν ὑμᾶς ἐκκεκαρπωμένων καὶ πολλὰ τῶν ὑμετέρων διηρπακότων.* Semel tantum hoc uerbum apud Thucydidem occurrit; sed bis usus est uerbo *καρποῦσθαι.* In oratione illa funebri pulchre translatio continuatur: *τὰ αὐτοῦ ἀγαθὰ γιγνόμενα καρποῦσθαι*, frui quae apud alios nascuntur bonis. Et in oratione Gylippi 7, 68, 3 *καὶ τῇ πάσῃ Σικελίᾳ καρπουμένῃ καὶ πρὶν ἐλευθερίαν βεβαιοτέραν παραδοῦναι.* Siciliae uniuersae, qua iam prius fructa est libertatem reddere firmiorem.

---

§ 10. *Translationes a uenatione sumptae.*

Fuerunt sane priscis temporibus qui animi causa uenatum exirent, longe plures tamen ut uestitum sibi pararent ceteraque, quae opus essent ad uictum; quare nil mirum si multae translationes inde sint natae.

Primi sit agminis *διώκειν*, cuius uerbi uis propria ac natiua „pellere, urgere" et deinde „persequi" priscos iam homines ultro quasi coegit ut ubi de persequendis hostibus agebatur eo uerbo uterentur et statim — antiquissima testantur literarum monumenta — adhiberi coeptum est de uenatoribus canibusue, qui ferarum uestigiis insistentes capere nitebantur. Multa sunt enim in quibus inter sese conueniunt uenatio bellumque, quare iusta, nisi omnia me fallunt, haec Xenophontis [1]) admonitio: *μὴ καταφρονεῖν κυνηγεσιῶν. ἐκ τούτων γὰρ γίγνονται τὰ εἰς τὸν πόλεμον ἀγαθοί.*

„De persequendis hostibus." Cfr. Hom. Il. 21, 602 *πεδίοιο διώκετο .... ὡς αἰεὶ ἔλποιτο κιχήσεσθαι ποσὶν οἷσι.* Il. V, 223.

„De uenatoribus canibusue." Inspiciatur Xenophontis libellus, qui inscribitur *κυνηγετικός*; passim ibi occurrit uerbum *διώκειν*, cui saepe iungitur aliud uerbum, *ἁλίσκεσθαι*, cuius auxilium non uidetur spernendum. Cfr. 3, 8; 4, 5; 5, 16, 17; 5, 28; 6, 3; 6, 19; 10, 19, 20 et saepius.

Multae uerbi *διώκειν* apud omnes scriptores cuiuscunque aetatis et cuiuscunque generis occurrunt translationes, quarum non paucae ostendunt uenationem scriptoris animo obuersatam esse, hoc uerbo cum uteretur. Cfr. Hom. Il. 17, 75 *νῦν σὺ μὲν ὧδε θέεις ἀκίχητα διώκων.* 13, 64 [2]).

---

1) Xenoph. Κυνηγετικός 2, 1.

2) Cfr. Plat. Lach. 194 B *οὐκοῦν, ὦ φίλε, τὸν ἀγαθὸν κυνηγέτην μεταθεῖν χρὴ καὶ μὴ ἀνιέναι.* Et Soph. Antig. *θηρᾶν τἀμήχανα,* 92.

Operae pretium erit quosdam Platonis locos inter sese conferre: Gorg. 482 E τὴν ἀλήθειαν διώκειν Plat. Protag. 354 C διώκειν τὴν ἡδονὴν ὡς ἀγαθὸν ὄν. Gorg. 480 C διώκειν τὸ ἀγαθὸν καὶ καλόν. Phaed. 66 A αὐτὸ καθ' αὑτὸ εἰλικρινὲς ἕκαστον ἐπιχειρεῖ θηρεύειν τῶν ὄντων; ut Plato eiusque imitatores saepenumero usi sunt uocabulis uenatoriis de uero inuestigando [1]). Euthyd. 290 C. Theaet. 166 C. Cfr. porro Eurip· I. A. 568 θηρεύειν ἀρετάν et Ion. 440 ἀρετὰς διώκειν.

Sed de his iam satis, ad ipsum Thucydidem redeamus. Translatum uerbum διώκειν apud eum inuenimus 2, 63, 1 τὰς τιμὰς διώκειν honores sectari. Idem ualet uerbum μετιέναι 2, 39, 1: et in puerorum educatione illi statim ineunte aetate laboriosa exercitatione τὸ ἀνδρεῖον μετέρχονται, cfr. 1, 124, 1 et 1, 135, 3 ξυνδιώκειν ἄνδρας. Ex latibulo ferae excitantur. Graeci dicunt ἀνιστάναι cfr. Xenoph. Cyrop. 6, 23 canes ἀναστήσουσι τὸν λαγώ ct Xenoph. Anab. 1, 5, 3 τὰς δ' ὠτίδας ἐάν τις ταχὺ ἀνιστῇ, ἔστι λαμβάνειν. Sensu translato inuenitur 6, 2, 2. ὑπο Λιγύων ἀναστάντες et sic saepius. 6, 3, 2 eodem sensu utitur Thucydides uerbo ἐξελαύνειν.

Sescenties legitur uerbum τηρεῖν. Nisi omnia me fallunt huic uerbo aucupandi notio est subiecta; 4, 61, 1. τάς τε ἁμαρτίας ἡμῶν τηροῦσιν ὀλίγαις ναυσὶν παρόντες. 5, 82, 2. τηρήσαντες αὐτὰς τὰς γυμνοπαιδίας; cfr. 3, 22, 1; 4, 26, 7; 6, 2, 4; 7, 80, 1. Saepe etiam occurrit uerbum ἐπιτηρεῖν 5, 37, 2; 1, 62, 3. Cfr. 3, 107, 2 ubi auctor noster uerbo utitur ἐφορμεῖν quod proprie dicitur de nauibus.

Eandem uim habet uerbum φυλάττειν 3, 105, 2; 2, 3, 4; 4, 93, 2; 7, 83, 4.

Uel dulce canendo uel cibo ad fraudem posito aliaue illecebra uolucrem decipit auceps. Fieri non potuit quin inde

---

1) Cic. De Nat. Deor. I, 30, 83 Physicum uocat speculatorem uenatoremque naturae.

multae natae sint translationes. Sic 6, 8, 2 ἐπαγωγὰ καὶ οὐκ ἀληθῆ captiosa illa ac fallacia. 5, 85, 1 Melii Atheniensibus copiam non fecerant uerba faciendi ad populum; quare sic legati criminabantur: ideo quominus cum populo agamus nos impedire uoluistis, quod metuatis, ne multitudo oratione perpetua auditis uerbis ad alliciendos animos (ἐπαγωγά) aptis decipiatur. Cfr. 4, 88, 1, διά τε τὸ ἐπαγωγὰ εἰπεῖν τὸν Βρασίδαν. Sic etiam legitur 4, 108, 5: ἐφολκὰ καὶ οὐ τὰ ὄντα λέγοντος Βρασίδου. Cfr. Plat. Reip. 521 D, 524 E ὁλκός, quod Suidas interpretatur: ἑλκυστικὸς καὶ ἐπαγωγός, Aristoph. Uesp. 268 ἔφολκος. Fieri tamen potest ut haec alia sit metaphora, a nauigatione petita: remulco tractus. Cfr. scholiasta ad Vespas: ἐφολκὶς κυρίως λέγεται ἡ λέμβος ἤτοι ἡ μικρὰ ναῦς ἡ ὑφ' ἑτέρας νεὼς ἑλκομένη διὰ βραδυτῆτα. Huc referendum est illud, quod legitur 5, 89: μετ' ὀνομάτων καλῶν, uerbis, quae ad decipiendum sunt nata. Ἐπάγεσθαι. 8, 5, 5; 5, 45, 1 Alcibiades metuebat ne Lacedaemonii legati populum captarent. De eadem re iisdem fere uerbis utitur Plut. Nic. 10. Ὑπάγειν ἐς τὸ πέλαγος 8, 10, 2: eos in altum elicere conabantur. Cfr. Xenoph. Hipp. 4, 12 τοὺς πολεμίους εἰς ἐνέδρας ὑπάγειν. Dem. 3, 31. προσάγειν ἐς τὴν ξυμμαχίαν, 8, 3 allicere ad belli societatem. Προσάγεσθαι ἀπάτῃ Thucyd. 3, 44, 2. Οὔτε ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγαγώτερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον. 1, 21, 1 non mihi est in animo, dicit Thucydides, in conscribendis historiis eos imitari, qui, ut auditorum aures caperent, uerborum illecebras potius quam ueritatem sunt sectati. 5, 111, 3. ὀνόματος ἐπαγώγου δυνάμει, ui nominis allicientis. Notandum est etiam uerbum ἐπισπάσασθαι. Cfr. 3, 44, 4, ubi oppositum inuenitur, ut saepius, ἀπώσασθαι.

De iis quae sequuntur non constat inter uiros doctos; litem dirimere non est facile nec mihi est in animo id suscipere onus; ea tantum quae disputauerunt rei periti, quaeque ipse sentio sum prolaturus. 6, 86, 1 τὸ γὰρ πρότερον ἡμᾶς

ἐπηγάγεσθε οὐκ ἄλλον τινὰ προσείοντες φόβον ἢ κ. τ. λ. Pastores dicuntur προσείειν cum frondem manu quatientes pecus ducunt quo uolunt. Cfr. Athen. 1, 19. Plat. Phaedr. 230 D ὥσπερ γὰρ οἱ τὰ πεινῶντα θρέμματα θαλλὸν ἤ τινα καρπὸν προσείοντες ἄγουσιν. Quare puto cum Bekkero fieri potuisse ut Thucydidi obuersata sit locutio haec: προσείειν θάλλον, quod ni fallor ostendit uerbum ἐπηγάγεσθε. Cfr. Ruhnken. ad Tim. 137. At Poppo putat ἐπάγεσθαι uix uerbum translatum dici posse. Quid uero? an negat etiam uerbum ἐπάγωγον esse translatum? Sunt qui aliam ingrediantur uiam. Antistantur Aelianum V H. 12, 23 qui dicit τὰ ξίφη καὶ τὰ δόρατα προσείειν. Saepe enim ad terrorem hosti incutiendum gladios et hastas uibrant. Accedit quod pleraque alia cum uerbo σείω composita significationem, ut dicit Bekkerus, minarum et metus habent: ἀνασείειν, ἐπισείειν. Cfr. 5, 17, 2 ἤδη παρασκευή τε προεπανεσείσθη ἀπὸ τῶν Λακεδαιμονίων, et 4, 126, 5 ἡ ἐπανάσεισις τῶν ὅπλων. Cfr. porro Pollux 1, 151. Plut. Them. 206. Latini dicunt incutere metum. Et uerum si quaerimus, non agitur hoc loco de re grata atque ad se alliciente, sed de re horribili magis et periculosa. Cfr. Eurip. Herc. fur. 1218. Hel. 445. Neque praetermittenda quae leguntur apud Cic. in Verrem 4, 34: tum spem tum metum ostendens. Sunt qui putent Thucydidem duas translationes diuersas non bene iunxisse, quasi dicere uellet metu ostenso aliquo compellere. Alii ab aegide quassa hoc dicendi genus repetunt. Uarias sententias in medium protulisse sat est, me prudentioribus relinquendum duxi, quid sit statuendum.

Haec leguntur 3, 40, 1 οὐκ οὖν δεῖ προτεῖναι ἐλπίδα οὔτε λόγῳ πιστὴν οὔτε χρήμασιν ὠνητήν, ὡς ξυγγνώμην ἁμαρτεῖν ἀνθρωπίνως λήψονται. Sic correxit Herwerdenus. Libri dant aut προθεῖναι proponere aut προσθεῖναι addere. A palaestra uidetur petitum genuinum si est προθεῖναι; quod uero frustra a Goellero defenditur προσθεῖναι omnino est reiciendum. Si uerum

uidit Herwerdenus imago inde orta est quod ad alliciendum saepe aliquid praetenditur. Quid si legeretur *προσεῖσαι*? Mihi quidem ualde arridet.

Dolo igitur insidiisque usus feras occupat uenator, quare, qui imprudentes atque incauti a quouis occupantur, haud illepide „opprimi, vel in laqueos incidere, vel plagis teneri impediti" dicuntur. Ita fit ut quae sequuntur occurrant translationes. 8, 42, 1. *εἴ πως περιλάβοι μετεώρους τὰς ναῦς*, si forte naues in alto occupare posset. Hoc tamen uno loco Thucydides hanc uim uerbo subiecit. Herod. 8, 106 eundem uerbi usum fecit. Eodem modo usus est Thucydides uerbo *καταλαμβάνειν* 1, 9, 1, qui iure iurando quasi reti capti erant proci. Cfr. 4, 86, 1; 5, 21, 3. *'Εγκατάληψις* semel tantum occurrit (5, 72, 4) — Cfr. Luc. Par. 4 — octies tamen *ἐγκαταλαμβάνειν*, uelut 4, 8, 9. Legitur 6, 77, 2 *ἕως ἂν ἕκαστοι κατὰ πόλεις ληφθῶμεν*; quibus uerbis comparandum quod sequitur *ἁλωτοί*. Cfr. Aristoph. Equit. 864, qui uerbo *λαμβάνειν* utitur de captandis piscibus [1]).

Mirum quotiens legatur uerbum *περιπίπτειν*, atque *ἐσπίπτειν*. 3, 82, 2 *διὰ τὸ μὴ ἐς ἀκουσίους ἀνάγκας ἐσπίπτειν*. Recte Herwerdenus praepositionem addidit: quod in odiosas necessitates non incidant. 1, 131, 2 *καὶ ἐς μὲν τὴν εἱρκτὴν ἐσπίπτει Παυσανίας*. Cfr. 7, 87, 2 *ἐμπεπτωκότες ἐν τοιούτῳ χωρίῳ*, quocum conferendum est quod sequitur 7, 87, 4. *ἐλήφθησαν δ' οἱ ξύμπαντες*. Cfr. Plat. Euthyd. 292 E. Xenoph. Hell. 4, 5, 5. Plato Hip. Mai. 298 C.

Omne dubium, si quod est, ad tollendum aptum uidetur quod legitur 1, 106. *καί τι αὐτῶν μέρος οὐκ ὀλίγον .... ἐσέπεσεν ἔς του χωρίον ἰδιώτου, ᾧ ἔτυχεν ὄρυγμα μέγα περιεῖργον καὶ οὐκ ἦν ἔξοδος. Οἱ δ' 'Αθηναῖοι γνόντες, κατὰ πρόσωπόν τε εἶργον τοῖς ὁπλίταις καὶ περιστήσαντες κύκλῳ τοὺς ψιλοὺς κατέ-*

---

1) *ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν.*

λευσαν πάντας τοὺς ἐσελθόντας. Haec est a uenatione sumpta imago, qua pulchrior pleniorque altera non inuenitur apud Thucydidem. Nonnulla, quibus hac in re uulgo utuntur uenantium uerba, hic leguntur. Ferarum ritu tamquam in insidias in hominis priuati cuiusdam incidunt praedium; fossa quasi indagine cincti undique includuntur nec ullum habent exitum, totiusque loci circuitum uenatores imitati custodiis ita complectuntur Athenienses, ut nemo inde elabi possit[1]).

His quoque uerbis — 5, 111, 3 — ex eodem fonte petita omnibus partibus absoluta continetur imago. Πολλοῖς γὰρ προορωμένοις ἔτι ἐς οἷα Φέρονται τὸ αἰσχρὸν καλούμενον ὀνόματος ἐπαγωγοῦ δυνάμει ἐπεσπάσατο ἡσσηθεῖσι τοῦ ῥήματος, ἔργῳ ξυμφοραῖς ἀνηκέστοις ἑκόντες περιπεσεῖν. Ut auiculae non nunquam, etsi uident quod sibi imminet periculum, esca tamen allecti misere capiuntur, sic etiam inueniuntur homines qui, quamuis in praecipiti se esse uideant, turpitudine stulte quam metuunt, perturbati, ui fallacis nominis inducantur ut ultro i grauissimas incidant calamitates. Calamitates resque cuiuscunque generis difficiles imprimis significantur uerbo περιπίπτειν translato. Cfr. 2, 54, 1; 2, 59, 2; 1, 43, 1; 5, 14, 3; 8, 27, 3; 8, 33, 3.

Legitur 1, 25, 1 ἐν ἀπόρῳ εἴχοντο, hoc uno tantum loco; aliis locis ut 3, 22, 6 pro ἔχεσθαι uerbum εἶναι est usitatius. Herodotus uero et Plato saepius hoc uerbo usi sunt, ita tamen ut eandem, quam apud Homerum, obtinuerit uim. Si porro quae apud Platonem Criton. 43 C leguntur: ἐν τοιαύταις ξυμΦόραις ἁλίσκονται et quae sequuntur: ἀλλ' οὐδὲν αὐτοὺς ἐπιλύεται ἡ ἡλικία τὸ μὴ οὐχὶ ἀγανακτεῖν τῇ παρούσῃ τύχῃ, comparentur cum iis, quae aliis locis inueniuntur, ut Plat. de Republ. 3, 375 D et Phil. 45 B: καὶ ἐν

1) Suauissima allegoria a uenatione sumpta huc quae pertinet inuenitur Plat. De republ. 4, 432 B.

τοιούτοις νοσήμασιν ἐχόμενοι, satis superque apparet cogitari retia, quibus quis constrictus tenetur. Praeterea conferantur 3, 98, 1; 2, 49, 5. Plat. Soph. 236 E. Leg. 714 A. Theaet. 479 A et 512 A.

Accidit[1]) nonnunquam ut plagas insidiasque effugiant ferae aut canum uel uenatorum non fiant praeda. Unde transfertur saepe uerbum *διαφεύγειν* in eos, qui quoduis effugere possint periculum. 8, 1, 1 *τοῖς ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔργου διαπεφευγόσι*, (apud Thucydidem saepius *ἔργον* idem ualet ac bellum). Cfr. denique 7, 77, 7 hostes effugere; 2, 49, 6 morbum effugere; 2, 42, 4 paupertatem effugere. Eadem imagine usus est Cic. in Cat. 1, 6, 15: Quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut uitari posse non uiderentur, parua quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi!

---

§ 11. *Translationes ab animalibus sumptae.*

Hic locus mihi praeter omnes idoneus est uisus, quo ageremus de metaphoris sumptis ab animalibus, quibus homo utitur ad usus cotidianos.

Uiuida et dilucida translatio est uerbi *λωφᾶν*. Scholiasta ad Aiac. 61 haec adnotat: *ἐπαύσατο· ἀπὸ τῶν ὑποζυγίων· ὅθεν καὶ τὸ εὐλόφως φέρειν.* At quomodo haec requiescendi ratio e ui natiua uerbi sit elicienda, non satis apparet. Passouius ille interpretatur quidem: „si iugo solutum est iumentum collum liberum recipit atque se reficit", sed haec scribens rem ipsam declarat, nullo modo illustrat uerbi uim propriam; adhuc igitur quaerendum restat qua notione uerbum ab initio praeditum sit et quomodo illa requiescendi uis ex illa no-

1) Cfr. Plato Euthyd. 295 *b*. Reip. 4, 432 B.

tione sit profecta. Uir doctissimus Lueck nouam ingressus uiam hanc protulit interpretationem, in qua acquiescere mihi quidem non est difficile; approbentne uiri docti necne in medium relinquendum duco.

Uerbum λωφᾶν, cum sit prorsus eodem modo comparatum ac uerba νωμᾶν, στρωφᾶν, uim habere frequentatiuam necesse est. Iam uero quoniam colli notionem ueteres in ea uoce sine ulla uarietate inesse senserunt (cfr. δύσλοφος. ceruicibus onerosum, Aeschyl. Prom. 930 Eurip. Troad. 297 cui opponitur εὔλοφος) nihil aliud potest significare nisi collum huc illuc uersare, collum quatere. Hoc autem iumenti est quod modo iugo solutum laetitia exsultat. Est igitur πόνου λωφᾶν: peracto labore ceruices antea tamquam iugo pressas et rigidas factas uersando relaxare ac reficere.

Legimus 6, 12, 1 λελωφήκαμεν ἀπὸ νόσου μεγάλης καὶ πολέμου. Sententia horum uerborum iterum occurrit 6, 26, 2 ἄρτι δ' ἀνειλήφειν ἡ πόλις ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς νόσου καὶ τοῦ ξυνεχοῦς πολέμου. 2, 49, 4 σπασμὸν ἐνδιδοῦσα ἰσχυρόν, τοῖς μὲν εὐθὺς μετὰ ταῦτα λωφήσαντα, τοῖς δὲ καὶ πολλῷ ὕστερον; hoc loco fere idem ualet ac desinere. 7, 77, 3 τάχα δ' ἂν καὶ λωφήσειαν fortasse enim leuabuntur, uidentur remissurae calamitates. Cfr. 4, 81, 2 τοῦ πολέμου λώφησιν. Plat. Phaedr. 251 C. De Leg. 9, 854 C; Hom. Il. 21, 292; Od. 9, 460; Hesychius haec habet: λωφᾷ = παύεται.

Nunc uideamus quae ab equo profectae sunt translationes. In regendo equo frenis opus est et calcaribus. 7, 14, 2 haec leguntur: Χαλεπαὶ γὰρ αἱ ὑμέτεραι φύσεις ἄρξαι. Sic Nicias scribit Atheniensibus: haud facile enim ingenia uestra imperium patiuntur (i. e. ad obsequium rediguntur). Eadem haec sententia Aristophaneis inest uerbis: Pac. 607 τὰς φύσεις ὑμῶν δεδοικὼς καὶ τὸν αὐτοδὰξ τρόπον. Inde denuo translatum est uerbum in naues quae reguntur ἵνα .... εὐκοσμότεροι γαὶ ῥᾴους ἄρχειν ὦσιν 6, 42, 1. Pollux 1, 197 haec

habet: ἵππος ἀπειθής, δυσήνιος. Sane, uerum si quaeremus, huius uocabuli ἀπειθής uim ad eos homines pertinere reperiemus, qui uerbo alicuius non sunt audientes. At mox ob miram similitudinem in equum est translatum. Cfr. Xenoph. Equit. 3, 6. Legitur etiam εὐπειθής Plat. Phaedr. 254 A ubi agitur de equo, deinde uero in nauem ut multa alia ad equum quae pertinent. Equis prius usi sunt homines quam nauibus, quibus cum uti coepissent statim esse magnam nauibus cum equis similitudinem uiderunt. Homerus iam ἁλὸς ἵππους Od. 4, 708 uocauit naues eodem modo ac nos camelos solitudinis naues uocamus. Fallitur igitur Classenius qui animaduertit Graecos iuxta et Britannos, ubi de nauibus agatur, ea nomina usurpare, quibus proprie uariae hominum indicentur conditiones. Sic legitur apud Thucydidem 2, 84, 3 κυβερνήταις ἀπειθεστέρας τὰς ναῦς παρεῖχον. Equum cohibere dicitur ἐπέχειν. Cfr. Soph. Ai. 833 ἐπισχὼν χρυσόνωτον ἡνίαν. Sic Thuc. ἐπισχόντας τὰ πρὸς Ἀργείους. Cfr. 4, 5, 1; 5, 32, 6; 5, 63, 4 οἱ δὲ τὴν μὲν ζημίαν καὶ τὴν κατασκαφὴν ἐπέσχον. Eandem habet uim uerbum κατέχειν 1, 130, 1 κατέχειν τὴν διάνοιαν οὐκ ἐδύναντο cfr. 3, 12, 1 et 2, 65, 8 κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως καὶ οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ' αὐτοῦ ἢ αὐτὸς ἦγε, plebem in officio liberaliter continebat nec magis regebatur ab ea quam ipse regebat. Cfr. 3, 62, 4 κατέχοντες ἰσχύι τὸ πλῆθος. Cfr. 6, 11, 1 κατεργασάμενοι κἂν κατάσχοιμεν, quae uerba quid significent interpretantur quae proxime sequuntur, χαλεπῶς ἂν ἄρχειν δυναίμεθα. Sic etiam 6, 86, 3; 8, 86, 5 τὸν ὄχλον κατχσχεῖν et 3, 3, 4; 1, 6, 4 ubi per προσωποποιίαν dictum est.

Imprimis quae legantur digna uidentur quae habet Plato Phaedr. 254 A. ἑαυτὸν κατέχει μὴ ἐπιπηδᾶν τῷ ἐρωμένῳ. ὁ δὲ οὔτε κέντρων ἡνιοχικῶν οὔτε μάστιγος ἔτι ἐντρέπεται. Nonnunquam equi indomiti nec frena nec uincula curant et in fugam prorumpunt. Translatio inde sumpta inuenitur 8, 84,

3. ὥρμησαν ἐκραγέντες ἐπὶ τὸν Ἀστύοχον. Cfr. Herod. 6, 129, ubi κατέχειν oppositum inuenitur, κατεῖχε ἑαυτόν, οὐ βουλόμενος ἐκραγῆναι. Cfr. Herod. Domantur equi aliaeque bestiae contumaces. Inde metaphora sumpta 7, 81, 5 καταδαμασάμενοι λήψεσθαι. Negari tamen non potest Thucydidem his uerbis usum secutum esse poetas. A calcaribus siue stimulis quibus boues equique instigantur hae profectae sunt translationes: 8, 63, 3 προυτρέψαντο. 7, 25, 1, ἐποτρύνειν et 6, 69, 2 (Cfr. Hom. Od. 22, 152. Tacit. Hist. 2, 24 dicit: irritare proelium). 1, 67, 2; 6, 15, 2 ἐνάγειν. 1, 69, 2; 8, 46, 1, ἐπείγεσθαι. 4, 12, 1 ἐπέσπερχε τοιαῦτα: his uerbis instigabat. Hoc uno loco apud Thucydidem, nec ceteri Attici utuntur, cfr. tamen Hom. Od. 22, 451; κέντρῳ (τοὺς ἵππους) ἐπισπέρχων legitur. Il. 23, 430. De nauibus utitur Hom. Od. 5, 304. Huc addere licet 4, 126, 6 ὄψει δὲ καὶ ἀκοῇ κατασπέρχον. Falso interpretatus est scholiasta ἐκπλῆττον. Haec mihi uidetur interpretatio: terror qui ab iis oritur reuera leuis est et non nisi uisu atque auditu concitat, hunc in uos irruentem, ἐπιφερόμενον, audacter sustinete.

Ab asino onera ferente ob similitudinem mutuati sunt Graeci nomen, quo indicarent machinam quandam, cui Romani dederunt nomen suculam. Idem quod ὄνος, ut uetera docent Lexica, ualet γέρανος, grus. Ab „ὄνος" ortum est uerbum ὀνεύειν· 7, 25, 6 trahere sucula. Strattis 30 (I, 719).

Acus comatoriae, quae forma cicadis erant similes, dicebantur τέττιγες. Cfr. 1, 6, 3.

Δελφινόφοροι κεραῖαι, 7, 41, 2 sunt trabes uel antennae quibus δελφῖνες sunt apti; δελφίς autem est instrumentum belli delphini figura formaque ex plumbo uel ex ferro factum quod ab antenna in hostium naues demittebatur.

Χηλή, 8, 90, 4; 1, 63, 1: 7, 53, 1, proprie ungula. Translatum hoc uocabulum est terminus technicus. Latini dicunt: moles, crepido. Haec habet scholiasta: Χηλὴ καλεῖται οἱ ἐμ-

πρόσθεν τοῦ πρὸς θάλασσαν τείχους προβεβλημένοι λίθοι διὰ τὴν τῶν κυμάτων βίαν μὴ τὸ τεῖχος βλάπτοιτο.

Κέρας. Proprie est cornu animalis cuiusdam; transfertur in partes agminis extremas, quas Latini cornua siue alas uocant. Saepius et apud Thucydidem occurrit. Idem ualet atque ostium 1, 110, 4, est Nili ostium quod Μενδήσιον dicitur. Est terminus technicus qui legitur 6, 32, 2, cfr. 2, 90, 4 *ἐπὶ κέρως* i. e. *κατὰ μίαν ναῦν*, longa nauium serie.

Νέμεσθαι proprie est: pasci. Transfertur sic ut idem ualeat ac „quaestui habere aliquid, fructus capere ex aliqua re. Cfr. 1, 100, 2 ubi agitur de metallis. Cfr. 3, 68, 3 *καὶ ἐνέμοντο Θηβαῖοι*, usum habebant, et saepius. Sic etiam legitur *ἐπινέμεσθαι* 2, 54, 5. Cfr. Verg. Aen. 2, 215. Sensu proprio est idem quod pasci; tum translate dicitur de igne. Cfr. Sil. Ital. 12, 153 depasti flammis scopuli. Herod, 5, 101 *πῦρ ἐπινέμεται πόλιν.* Iterumque ob similitudinem transfertur in morbum, qui uelut ignis depascitur corpus, 2, 54, 5 *ἐπενείματο (ἡ νόσος) δ' Ἀθήνας μάλιστα.* Cfr. Verg. Georg. 3, 458 Artus depascitur arida febris. Haec sunt, quae de animalibus in medium mihi proferenda duxi. Aequo animo, ni fallor, beneuolus lector feret, me quaedam adiunxisse ad animalia quae pertineant, ad ipsam capitis inscriptionem pertinere non uideantur.

---

§ 12. *Translationes ab arcu petitae.*

Hic suum locum habeant, quae ab arcu sunt sumptae translationes. Arcus modo tenditur, modo relaxatur. Translationes inde natae hae sunt: 5. 9, 6 *ἐν τῷ ἀνειμένῳ αὐτῶν τῆς γνώμης καὶ πρὶν ξυνταθῆναι μᾶλλον τὴν δόξαν*, dum sunt

remissis animis et priusquam consilium eorum magis intentum fuerit. In codicibus legitur *ξυνταχθῆναι*, quae esset metaphora sumpta a re militari, uera si esset traditio. At neque cum uoce *δόξαν* similibusque alibi consociatur neque uim habet *τῷ ἀνειμένῳ* contrariam. Huc accedit quod apud Xenoph. Oec. 2, 18 inuenitur *συντεταμένῃ γνώμῃ*. Cfr. Plat. Euthyd. 288 D *συντεταμένον καὶ σπουδάζοντα*. Symp. 206 B *σύντασις*.

Leguntur haec 7, 71, 1 *Ὁ τ' ἐκ τῆς γῆς πεζὸς .... πολὺν τὸν ἀγῶνα καὶ ξύστασιν εἶχεν*. Litigatur inter uiros doctos sitne genuinum illud *ξύστασιν* an Dukeri correxio (*ξύντασιν*) sit recipienda. Steupius aliique prouocant ad Eurip. Hippol. 983; Cass. Dion. 49, 9, 3; Herod. 6, 117 et 7, 167 ubi tamen idem ualet quod *ἀγών*. Quod Euripidem Dionemque attinet Herwerdenus censet eos similiter esse corrigendos. Thucydides certe magnam animi contentionem intellegit, quam uoce „*ξύντασιν*" optime significauit. Reicienda igitur librorum lectio recipiendaque uidetur translatio ab arcu sumpta. Ad idem genus pertinet *ἐντόνως* 5, 70 *οἱ ξύμμαχοι ἐντόνως* (magno cum impetu) *καὶ ὀργῇ χωροῦντες*. Aduerbium hoc uno loco apud Thucydidem occurrit; nusquam tamen adiectiuum. Cfr. Xenoph. Anab. 7, 5, 7 *ἐντόνως ἀπῄτει τὸν μισθόν* et Xenoph. Hell. 2, 4, 23.

Ἀνειμένῃ τῇ διαίτῃ — remissiorem cultum secuti ad genus uitae lautius transierant. *Ἡμεῖς δ' ἀνειμένως διαιτώμενοι* 2, 39, 1 quibus uerbis opponuntur haec: *ἐπιπόνῳ ἀσκήσει*. Sic occurrit uerbum *ἀνιέναι* 1, 129, 3 *καί σε μήτε νὺξ, μήθ' ἡμέρα ἐπεσχέτω ὥστε ἀνεῖναι πράσσειν τι ὧν ἐμοὶ ὑπισχνεῖ*. Neque nox neque dies te retineat ut quidquam relaxes a contentione peragendi aliquid eorum, quae promisisti. Cfr. 3, 10, 4; 5, 46, 2; 5, 32, 4; 7, 66, 3; 8, 1, 3. Ab arcu, qui relaxatur haec metaphora profecta longius mihi serpsisse uidetur.

Telum scopum ferit aut frustra emittitur; quod his uerbis

a Graecis significari solet: *τυγχάνειν* et *ἁμαρτάνειν*. Utitur saepius his uerbis metaphorice Thucydides. Uelut: 3, 20, 3. Agitur hic de numerandis lapidum ordinibus. Ubi plures non ita multum inter se distantes simul numerant facileque quam uolunt muri partem conspicere possunt, fieri debet ut nonnullis errantibus plures in uerum incidant numerum — *τεύξεσθαι τοῦ ἀληθοῦς*. Legitur 4, 28, 5 *τεύξεσθαι δυοῖν ἀγαθοῖν τοῦ ἑτέρου*. Est locus ualde impeditus, qui inuenitur 1, 33, 3; at mihi quidem non uidetur insanabiliter corruptus: *μηδὲ δυοῖν φθάσαι ἁμάρτωσιν ἢ κακῶσαι ἡμᾶς ἢ σφᾶς αὐτοὺς βεβαιώσασθαι*. Hoc loco quae requiritur sententiam optime, credo, coniecit Herwerdenus: „prius enim utraque quam nunc sibi proponunt spe frustrati erunt", exigua autem mutatione facta, quod uir doctissimus mente coniecit, ipsis uerbis ante oculos habemus neque opus erit putare plura periisse post *στῶμεν*. Sic enim corrigendum propono: *μηδὲ δυοῖν φθάσωσι ἁμαρτόντες καὶ κακῶσαι .... καὶ ....* Nam non metuebant ne non alterutrum adipiscerentur sed in metu erant ne utrumque perderent. Sic duo simul lucramur: uerba sententiam debitam referunt et sublata est difficultas statuendi, quomodo uerba *μηδὲ δυοῖν φθάσαι* cohaereant cum reliquis. Ceterum saepius occurrit hoc uerbum ut 1, 92; 1, 33, 3; 6, 92, 1; 7, 44, 8. Dignus est hic locus qui notetur 3, 98, 2 *τοὺς δὲ πλείους τῶν ὁδῶν ἁμαρτάνοντας καὶ ἐς τὴν ὕλην ἐσφερομένους*. Suo iure, credo, Bekker cl. 4, 12, 1 malebat *ἐκφερομένους* pro *ἐσφερομένους*, et non uideo cur Herwerdenus cum eo non faciat. Cobetus Mnem. N. S. 8, 144 dicit *ἐκφέρεσθαι* ipsum esse uerbum receptum, quo significantur, qui a uia aberrant.

Saepe sumitur imago a sagitta arcu missa siue ab alio quodam telo, quod ad finem non peruenit. Sensu proprio occurrit: Xenoph. Anab. 1, 8, 19; Xenoph. Hell. 7, 5, 17 *ὅπλῳ ἐξικνεῖσθαι ἀλλήλων* et 2, 4, 15 *ἐξιξόμεθά τε αὐτῶν, καὶ*

πολλοὺς κατατρώσομεν et Thucyd. 7, 79, 2 ubi libri dant διικνοῦντο. Suo iure correxit Herwerdenus; quae correctio ostendit luce clarius quantum intersit qua scriptor usus sit imagine recte perspexisse. Sensu translato inuenitur apud Thucydidem 1, 70, 2 ὑμεῖς δὲ τὰ ὑπάρχοντά τε σῴζειν καὶ ἐπιγνῶναι μηδὲν καὶ ἔργῳ οὐδὲ τἀναγκαῖα ἐξικέσθαι, ubi Corinthii Lacedaemoniis multa exprobrantes ipsorum naturam ingeniumque inter atque Atheniensium quid intersit praeclare enumerant.

Inter alia et haec dicunt: uos uero praesentia conservare et nil noui excogitare, facto autem ne necessariis quidem satisfacere soletis. Mallem scriptum τῶν ἀναγκαίων — cfr. Eurip. Electr. 565 τί δῆτα δρῶντες τοῦδ' ἂν ἐξικοίμεθα — et ualde suspicor post uerbum ἐπιγνῶναι adiectiuum ἱκανοὶ excidisse. Cfr. Plat. Hipp. Mai. 281 D οὐχ ἱκανοὶ ἐξικνεῖσθαι φρονήσει ἐπ' ἀμφότερα.

Huc pertinere uidentur quae sequuntur 7, 48, 3 ἐπ' ἀμφότερα ἔχειν: quae cum ipse sciret, re quidem ipsa in utramque partem nutabat et animi haerebat. Haec uerba minus usitata interpretatur quod sequitur uerbum: διασκοπῶν. Haec esse uidetur imago: qui certo ictu ferire cupit scopum sibi proponat necesse est, nec duo petere uelit; ignoranti quid petat nullus scopus suus est. Cfr. Herod. 6, 49 ἐπὶ σφίσι ἔχοντας. Inde nata est notio dubitandi. Legitur etiam 8, 85, 2 ἐπαμφοτερίζειν. Hoc uno loco occurrit ac idem ualet quod quae praecedunt uerba ἐπ' ἀμφότερα ἔχειν.

Iaciendo superare graece dicitur ὑπερβάλλειν. Cfr. Hom. Il. 23, 637 δουρὶ δ' ὑπειρέβαλον Φυλῆά τε καὶ Πολύδωρον [1]). Metaphorice utitur Thucydides 6, 23, 1 ἀλλὰ καὶ ὑπερβάλλοντες τοῖς πᾶσιν. Corruptela his uerbis inesse uidetur. Quae Thu-

---

1) Inde significare coepit: superare, uincere ut Aesch. Prom. βροντῆς θ' ὑπερβάλλοντα καρτερὸν κτύπον. Cfr. ὑπερφέρειν.

cydides dicere uoluit reclamant sententiae quam praebent uerba tradita, ut cuiuis caput proxime praecedens legenti satis apparebit. Si praeterea scriptor dicere uoluisset eos Siculorum graui armaturae pares esse non posse, capite quod indicaui suo loco haec dicta forent, cum praesertim capite uigesimo ad finem uergente sibi dicendum credat Siculos equitatu multo esse superiores. Si haec integra seruare, sic Nicias ratiocinatur, illis potiri uolumus, ipsi hinc nauigantes non solum graui eorum armaturae pares, sed etiam omnibus aliis rebus superiores nos simus necesse est. Quae requiritur sententia ut ipsis uerbis legatur non nisi parua opus est mutatione: pro *πλὴν* legatur *τὴν* ut obtineamus haec: *Ἐὰν γὰρ αὐτοὶ ἔλθωμεν ἐνθένδε μὴ ἀντίπαλον μόνον παρασκευὴν παρασκευασάμενοι, τήν γε πρὸς τὸ μάχιμον αὐτῶν τὸ ὁπλιτικόν, ἀλλὰ καὶ ὑπερβάλλοντες τοῖς πᾶσι, κ. τ. λ.*

Legitur 2, 35, 2 *τῷ δ' ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν*, ubi uero res exaggerantur, homines inuident et fidem non habent. Cfr. Sall. Cat. 3, 2 de iisdem agens: supra ea uelut ficta pro falsis ducit. Cfr. 2, 45, 1; 6, 67, 4; 8, 56, 4; 8, 81, 2; Isocrat. 12, 36 et lepida illa metaphora Eurip. Alc. 795.

---

§ 13. *Translationes a uia et itinere petitae.*

Naturae lex est ut ubi est ibi quaeratur quod cuique ad uitam est necessarium. Quaerentem itaque nil impedit; patent uiae atque flumina, omnia maria cuiuis sunt peruia. Multae translationes inde natae sunt.

Praecedant quae leguntur 7, 67, 2. Quae in terra degunt animalia dicuntur terrestria: *χερσαῖα*, quibus opposita sunt

aquatilia. Inde haec translatio: χερσαῖοι ὡς εἰπεῖν. Cum contemptu hoc est dictum: animalia terrestria i. e. homines, qui maris et rerum nauticarum non sunt periti, quare Thucydides uerba ὡς εἰπεῖν adiecit. Omnis abest contemptio apud Eurip. Andr. 457 σε.... ναύτην ἔθηκεν ἀντὶ χερσαίου κακόν. Uiam sternere graece dicitur ὁδὸν στορέσαι. Cfr. Herod. 7, 54. Translatum occurrit 6, 18, 4 στορέσωμεν τὸ φρόνημα. Scholiasta haec annotat τῶν παρὰ Θουκυδίδῃ τροπικῶν ὀνομάτων τὸ σκληρότατον τοῦτό ἐστιν, ἀλλὰ κατὰ Ἀλκιβιάδην. At nihil est quod hanc translationem miremur.

Ab ipsa uia in utraque lingua et Graeca et Latina translatum est uerbum in mare, per quod quis uiam sibi sternit. Cfr. Lucr. 3, 1043. Quomodo autem mare fit peruium? Sedatis fluctibus uentisque tutum aequor nauiganti iter praebet. Cfr. Verg. Aen. 8, 89; 5, 763 et Hom. Od. 3, 158; Herod. 7, 193. Quid porro mari turbulento perturbationibus, quae sunt turbidi animorum concitatique motus, magis est simile? Cfr. Aesch. Prom. 190 στορέσαι τὴν ὀργήν. Aristoph. Equit. 481 τὸν Ἡρακλέα παραστορῶ. Cfr. porro: Plut. Luc. 5; Caes. 25; Tac. Hist. 1, 58 stratis militum odiis.

Ὁδός, uulgo transfertur in subsidia quaecunque sunt, quibus utimur, ut ad finem optatum perueniamus 1, 122, 1 ὑπάρχουσι δὲ καὶ ἄλλαι ὁδοὶ πολέμου ἡμῖν: belli gerendi uiae. 1, 69, 3 καὶ ἐπιστάμεθα οἵᾳ ὁδῷ οἱ Ἀθηναῖοι.... χωροῦσιν ἐπὶ τοὺς πέλας et scimus quali uia Athenienses in alios grassentur. Sic 3, 64, 4 ἄδικον ὁδὸν ἰόντων et 6, 86, 4 ἑτοίμη ὁδός. Legitur 3, 11, 2 γνώμης ἐφόδῳ consilio urbano, cui opposita est „uis", ἰσχύς. 1, 126, 11 ἐν παρόδῳ, obiter. Ξυνόδος in utramque partem accipitur; in bonam 5, 88 περὶ σωτηρίας; in malam 3, 107, 3 ἐν τῇ ξυνόδῳ αὐτῇ, in ipso congressu. Ἔξοδος 5, 14, 4 accidit quoque ut triginta annorum indutiae (ἐπ' ἐξόδῳ εἶναι) ad finem uergerent. Cfr. 5, 28, 2; Xenoph. Hell. 5, 2, 2 ἐλέγοντο δὲ καὶ αἱ σπονδαὶ

ἐξεληλυθέναι ubi de iisdem agitur indutiis. Eiusdem sunt generis translationes peruetustae, quae sequuntur: ἄποροι ἄνθρωποι homines indigentes. Cfr. 1, 136, 2 κατὰ τὸ ἄπορον: consilii inopia coactus. Saepe occurrit εὐπορεῖν posse et ἀπορεῖν consilii inopem esse. 8, 11, 2 et 6, 44, 2 [1]).

A manendo orta est haec translatio: 1, 142, 1 τοῦ δὲ πολέμου οἱ καιροὶ οὐ μενετοί, belli occasiones nullam moram patiuntur. Quoad sententiam cfr. Dem. Philip. 1, 37.

In uia cunctari uel procul sequi proprio sensu legitur 1, 131, 2, translato uero 2, 87, 4, ubi opponitur προύχειν. Ὑμῶν δ' οὐδ' ἡ ἀπειρία τοσοῦτον λείπεται ὅσον τόλμῃ προέχετε: non tanto imperitia estis inferiores quanto audacia superiores. Cfr. 6, 72, 2 ξύνεσιν οὐδενὸς λειπόμενος, 5, 69, 1; 1, 10, 3 et 7, 66, 3 ἄνδρες γὰρ ἐπειδὰν ᾧ ἀξιοῦσι προύχειν κολουθῶσιν. Si eo, quo aliis antecellere uolunt, inferiores fiunt. Huc pertinet 1, 91, 5 οὐδένος ὕστεροι γνώμῃ φανῆναι.

Se uertere τρέπεσθαι sensu proprio legitur 5, 27, 2, translato 1, 72, 1 inire uiam ad pacem quae ducit, 5, 88 ἐπὶ πολλὰ τρέπεσθαι, huc et illuc se uersare. Legitur 4, 106, 2: ἐπειδὴ καὶ τὸ πλῆθος ἑώρων τετραμμένον. Scholiasta interpretatur: μεταβεβλημένον τὴν γνώμην mutasse sententiam. Cfr. 8, 90, 1 ὁρῶντες .... τοὺς δοκοῦντας πρότερον πιστοὺς εἶναι μεταβαλλομένους, a sententia discessisse. Cfr. Plat. Gorg. 481 E ἄνω καὶ κάτω ἀναβαλλομένου. Passim dicitur de iis, qui prae consilii inopia nesciunt quo se uertant. Sic etiam μεταβαλλόμενος λέγεις: mutata sententia dicis. Hic commemorandus est etiam locus 2, 53, 1. Cum in eo est ut quis se uertat dicitur ἀγχίστροφος; quare ἀγχίστροφος μεταβολή est repentina rerum commutatio.

A uia aliquem deducere: ἀποτρέπειν, translatum occurrit

---

1) εὐπορωτάτη πόλις 2, 64, 4 est urbs florentissima.

6, 8, 4 ubi Nicias Athenienses ab incepto auertere conatur. 3, 38, 2 τὸ εὐπρεπὲς τοῦ λόγου ἐκπονήσας παράγειν πειράσεται, 2, 65, 1 ἀπάγειν τὴν γνώμην, 1, 91, 2 παράγεσθαι λόγοις. Ualet fere idem hoc uerbum atque ἀπατᾶν. Cfr. 1, 34, 3; 1, 91, 2; 2, 64, 1. Non praetereundum τὸ ἐξάγειν ἐπὶ τὰ πονηρότατα. 6, 89, 5, cfr. 3, 45, 5.

Ἐξίστασθαι proprie dicitur de eo, qui a uia deflectit. Xenoph. Conu. 4, 31. Tum de eo, qui consilio desistit. 2, 61, 2 καὶ ἐγὼ μὲν ὁ αὐτός εἰμι καὶ οὐκ ἐξίσταμαι, ubi mente addendum τῆς γνώμης. Uide quae sequuntur ὑμεῖς μεταβάλλετε. Cfr. 4, 28, 3 de eo, qui magistratu se abdicat. Fieri etiam potest ut quis dolo uel fraude a recta uia abducatur. Inde sibi sumpsit imaginem Thucyd. 1, 34, 3 haec scribens: καὶ ὑμῖν ἔστω τι τεκμήριον .... ὥστε ἀπάτῃ τε μὴ παράγεσθαι ὑπ' αὐτῶν, δεομένοις τε ἐκ τοῦ εὐθέος μὴ ὑπουργεῖν, ne aut fraude ab ipsis transuersi agamini aut rogantibus ingenue morem geratis. Hoc loco inter se opposita sunt ἀπάτῃ παράγεσθαι et ἐκ τοῦ εὐθέος δεομένοις. Eodem fere modo 3, 43, 2 τὰ ἀπὸ τοῦ εὐθέος λεγόμενα et ἀπάτῃ προσάγεσθαι inter sese opponuntur.

Saepenumero aliquo itineris duce utimur. Saepe inde sumpta imago. 4, 18, 4 ὡς ἂν αἱ τύχαι αὐτῶν ἡγήσωνται. 5, 71, 1 ἐξηγεῖται τῆς αἰτίας. Lucidior etiam est imago 3, 45, 5: ἡγούμενος ὁ ἔρως, ἡ δ' ἐλπὶς ἐφεπομένη.

Saepe homo in uia anxie circumspicit ne quid immineat. Graeci dicunt περιορᾶν, quod uerbum saepe transfertur. 6, 93, 1; 6, 103, 2; 7, 33, 2; 5, 31, 6. Quare non intellego quid sit quod Herwerdenus Badhamo auctore, 2, 43, 4 περιορᾶσθαι emendare sit conatus. Quod enim Thucydidi obtruditur παρορᾶσθαι longe alio spectat. Agitur enim de timidis non uero de neglegentibus. Ad animum fortem — Pericles inquit — omnia in uita summa sunt reuocanda. Sic igitur ei est pergendum: nolite timere hostes; pericula ab hoste imminentia nolite detrectare. Ceterum ultima huius

capitis uerba, in primis haec: „ἡ μετὰ τοῦ μαλακισθῆναι κάκωσις" meae fauent sententiae. Si quem forte accusatiuus casus offendit, multo melius pro accusatiuo recipiet genitiuum. Cfr. 4, 124, 4, τῆς τε Μένδης περιορώμενος.

Omnium est hominum uitare ambages uiamque quaerere propiorem. Ex hoc quoque fonte translationes manarunt. Proprie dicitur ξυντέμνειν ὁδόν, uel breuius ξυντέμνειν. Cfr. Herod. 7, 123; Thucyd. 2, 97, 1. Inde natum est ξυντέμνειν λόγους, cfr. Aristoph. Thesm. 178 et ἵνα συντέμω ut Dem. 24, 14. Plat. Protag. 334 D; „breui" dicunt Latini. Translationes hae sunt: 7, 42, 5 ξυντομωτάτη διαπολέμησις. 8, 86, 6 εἰ δ' ἐς εὐτέλειάν τι ξυντέτμηται, si parsimoniae studentes sumptus aliquot reciderent. Cfr. Suet. Tib. 34: Mercedes scenicorum recidere. 8, 45, 2 ξυνέτεμεν τὴν μισθοφοράν. Scholiasta interpretatur: εἰς ὀλίγον ξυνέστειλε. Interpretes quidam uerbo huic translato explanationem ut adhibeant, uerba, quae 7, 36, 2 leguntur: καὶ τὰς πρῴρας τῶν νεῶν ξυντεμόντες ἐς ἔλασσον, laudant exemplum. Sed iniuria; nihil enim faciunt ad id de quo agitur, cum omnis translatio absit. Breuiter perstringere uolui; unum tamen mihi iam rogare liceat. Cur neminem offendit illud ἐς ἔλασσον? Me quidem sollicitum habet, cum inepte iterum adiungatur quod ipsi inest uerbo.

Uiatori nonnunquam opus est ut quiescat. Cfr. Plato Leg. I, 625 B ἀνάπαυλα. Translationes inde petitae inueniuntur: 2, 38, 1; 4, 20, 2, cfr. Plat. Phil. 30 E. Ut melius quiescat saepe diuertitur uiator equisque suis demit iugum. Haec inde translatio: 1, 136, 2 ἀναγκάζεται (ὁ Θεμιστοκλῆς) παρ' Ἄδμητον ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον καταλῦσαι. Cfr. Hom. Od. 4, 28 καταλύσομεν ἵππους. Plat. Theaet. 142 C πῶς οὐκ αὐτοῦ Μεγαροῖ κατέλυεν. Qui segnius procedit dicitur βραδύτερος. Translatio inde sumpta inuenitur 4, 34, 1 βραδυτέρους ἤδη ὄντας τῷ ἀμύνασθαι: defatigatos propulsandis hostibus.

Impedimenta in uia has mouerunt translationes: κωλύμη

4, 27, 3; 1, 92; cfr. 4, 20, 1; 5, 26, 2 *διὰ μέσου γενόμενον.* 1, 139, 4 *ἐμπόδιον τὸ ψήφισμα εἶναι τῆς εἰρήνης.* Saepe fit ut in uia uel saxum uel arbor domibus uel uiatoribus impendeat. Cfr. Hom. Hymn. Apoll. 284 *ὕπερθε πετρὴ ἐπικρέμαται.* Metaphorice hoc uerbo *ἐπικρεμάννυσθαι* utuntur scriptores de periculo quod imminet, ut 1, 18, 2 *ἐπικρεμασθέντος μεγάλου κινδύνου,* quod periculum est bellum Medicum. Cfr. 2, 53, 4; 3, 40, 7; 7, 75, 7 et 4, 31, 2 ubi legitur *ἀπόκρημνον.* Huc mihi addere uisum est translationes quasdam, quae ubi de uia agimus, suo loco tractari uidentur. Nil magis naturae conuenit, quam quae homo cotidie sibi aliisque accidere uidet, in alias res et corporeas et corpore uacantes ipsum transferre atque in ceterarum rerum nominandis conditionibus omnia ad suam ipsius conditionem reuocare nomina.

Latini rectum dicunt i. e. ad pares angulos, quod Graeci *ὀρθόν* nominant, sicut *εὐθύ* latino sermone idem ualet ac directum, libratum. Multae inde translationes sunt profectae. 5, 42, 2 *ὀρθόν* dicitur de urbe et huic notioni ibidem est oppositum *καθῃρημένον.* Cfr. 5, 46, 2.

Haec leguntur 2, 87, 3 *νομίσαι δὲ (δίκαιον) ταῖς μὲν τύχαις ἐνδέχεσθαι σφάλλεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, ταῖς δὲ γνώμαις τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ ἀνδρείους ὀρθῶς εἶναι, καὶ μὴ κ. τ. λ.* Frustra, ni fallor, Poppo, Classenius aliique haec uerba tueri conantur. Optime correxit Badhamius *ὀρθοὺς* pro *ὀρθῶς*, scholiasta auctore, qui scripsit: *ἔχειν .... ἑστηκυῖαν τὴν γνώμην καὶ μὴ ὑποπεπτωκυῖαν τοῖς δεινοῖς.* His omnibus libenter assentior, sed *ἀνδρείους* cur deleuerit, nec quicquam restituerit uir doctissimus cum plane non uideam aliasque uoces corruptis sub litteris latere censeam, sic credo esse legendum: *ταῖς δὲ γνώμαις τοὺς αὐτοὺς ἀεὶ ἂν δεῖν ὀρθοὺς εἶναι* uiros decet rectos stare ubi omnia iacent. Quae sequuntur uerba sententiam planius etiam interpretantur. 5, 102 legitur *μετὰ δὲ τοῦ δρωμένου ἔτι καὶ στῆναι ἐλπὶς ὀρθῶς.* Sic libri dant.

Inutiliter credo Herwerdenus correxit: ὀρθαῖς. Cfr. Soph. Oed. R. 50 ubi legitur ἐς ὀρθὸν στῆναι, quae uerba ἐς ὀρθόν idem ualent atque ὀρθῶς. Cfr. etiam Polyb. 33, 12, 3 ὀρθῶς ἵσταντο. 2, 61, 2 λόγος dicitur ὀρθός; est igitur ratio firma ac stabilis.

Βέβαιος is est, qui uaricatis stat pedibus ita ut non quouis labet momento. Transfertur 1, 122, 1 βεβαιότερος, tutior. Cfr. 4, 132, 2 βεβαιότης, fides. Cfr. 5, 43, 3 οὐ βεβαίους φάσκων εἶναι Λακεδαιμονίους, Lacedaemonios non esse fideles.

Dicitur πταίειν qui ad saxum aliudue quid pedem offendit. Translatio inde nata 1, 122, 1 οὐκ ἐλάσσω πταίει. Illud βεβαιότερος quod praecedit (de quo uerbo egimus supra) uerbi πταίειν notionem interpretatur: „in quo is quidem, qui in eo moderato animo se gerit, tutior existit; is uero, qui in eo animi affectu abripitur, non leuiter offendit." Testes sunt permulti, sed breuitatis causa hoc uno sumus contenti.

Qui labitur in uia dicitur σφάλλεσθαι. Multae inde metaphorae, cfr. 2, 87, 3; 8, 24, 5; 8, 86, 7; non minus saepe σφάλλειν, labare est translatum: 2, 65, 12; 1, 122, 4. Transfertur et ἀσφαλής 8, 88, certus, et σφάλμα: res male gesta uel quae ad irritum cecidit.

Lapsum iacentemque tollere graece dicitur ἐπαίρειν. Translatio inde petita inuenitur 8, 89, 4 σαφέστατα δ' αὐτοὺς ἐπῆρε τὰ ἐν τῇ Σάμῳ τοῦ Ἀλκιβιάδου ἰσχυρὰ ὄντα, ipsorum autem animos manifestissime erexerunt tum magna Alcibiadis potentia, quam Sami habebat, tum etiam.... 4, 121, 1 ἐπήρθησαν: uerbis exitabuntur, 4, 108, 3 καὶ αἱ πόλεις μάλιστα δὴ ἐπήρθησαν ἐς τὸ νεωτερίζειν [1]) et ciuitates ad res nouandas maxime erectae fuerunt. Et sic saepius.

---

1) Operae pretium esse puto hic animaduertere quo modo usus sit Thucydides uerbo νεωτερίζειν 7, 87, 1 ἐς ἀσθένειαν ἐνεωτέριζον. Innouabant (immutabant) eos in infirmitatem, id est: ita ut infirmitas oreretur. Cfr. Arr-

Hic etiam suum habeant locum translationes frequentes a quaerendo inueniendoque sumptae. Utriusque generis unum satis erit protulisse exemplum. Legitur 5, 46, 1 *ὅτι τάχιστα εὕρημα εἶναι διακινδυνεῦσαι*, ubi *εὕρημα* fere idem ualet quod fortuna, lucrum; lucri loco fore primo quoque tempore belli fortunam periclitari. Cfr. Herod. 7, 155; Xenoph. Anab. 2, 3, 18. Uerbum *ζήτησις* occurrit 1, 20 in fine, *οὕτως ἀταλαίπωρος .... ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας*, adeo non operosa apud plerosque ueritatis inuestigatio est, ut ad ea quae sunt in promptu potius se conuertant.

---

§ 14. *Translationes a mari et nauigatione sumptae.*

Quod mercaturae studentes saepe mare ingrediebantur Athenienses et ut se suaque omnia ab hostibus defenderent nauibus uti cogebantur, nautae peritissimi sunt facti. Ex re nauali igitur permultae translationes sunt sumptae.

Ἐξορμᾶν proprie hanc habet uim: ex portu educere nauem. Uide Thucydidem 7, 14, 1 *οἱ ἐξορμῶντες τε ναῦν*. Si cui adhuc est dubium, legat quae habet Pollux 1, 123 ubi haec uerba *ἐξορμᾶν τὴν ναῦν* proxime praecedunt illa: *καὶ τὸ πλεῖν καὶ τὸ ἐκπλεῖν*; legatque Euripidem Iphig. A. 1328 *τοῖς δ' ἐξορμᾶν τοῖς δὲ στέλλειν*. Primum uideamus translationem similitudinemque quam praebuit uerbum *ὁρμᾶσθαι*. Legitur 6, 9, 3 *οὔτε ῥᾴδιά ἐστι κατασχεῖν* 1) *ἐφ' ἃ ὥρμησθε*. Ut eadem utar

---

Anab. 4, 8, 2 *ἐς τὸ βαρβαρικώτερον νενεωτέριστο* et 7, 13, 3 *μή τι νεωτερισθείη ἐς ὕβριν*. Eundem uerbi innouandi usum fecit Cic. Pis. 36, 89: Quo te modo ad tuam intemperantiam innouasti?

1) *Κατέχειν* proprie dicitur de nauibus appellendis (cfr. Thucydides 4, 42, 3 *οἳ κατασχήσουσιν*), translate uero generalem perueniendi aliquo notionem

imagine sic uerto: neque facile est eo nauem appellere quo soluistis e portu; et omni similitudine remota: non facile est ea obtinere ad quae contenditis. Nunc redeamus ad ἐξορμᾶν.

Translatio huius uerbi occurrit 6, 88, 10 παρελθὼν ὁ Ἀλκιβιάδης παρώξυνέ τε τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ ἐξώρμησε λέγων τοιάδε. Illud παροξύνειν apertis uerbis indicat, quid ualeat τὸ ἐξορμᾶν et cuiuis notum est synonymorum iuncturam saepe fieri per uocabula τε — καί. Sic etiam 6, 6, 2 μάλιστα δ' αὐτοὺς ἐξώρμησαν Ἐγεσταίων πρέσβεις, potissimum eos impulerunt Egestaeorum legati.

Ab litore nauem in altum expellere dicitur ἀνωθεῖν, cfr. Hom. Od. 15, 553. Est ἅπαξ εἰρημένον. Transfertur 8, 93, 2 ἀνῶσαι τὴν πόλιν ἐς τοὺς πολεμίους. Scholiasta interpretatur: ἀνατραπεῖσαν ἐς τὰς τῶν πολεμίων χεῖρας ἐμβάλλειν. Saepe naues expectant in ancoris dum portum sibi detur intrare. Nauis tum dicitur μετέωρος cfr. 2, 91, 3 ὁλκὰς ὁρμοῦσα μετέωρος et 4, 14, 1; 8, 10, 3; et saepius occurrit, nunquam tamen apud Xenophontem nec apud Herodotum. 8, 16, 2 legitur καὶ μετεωρισθεὶς ἐν τῷ πελάγει. Haec ἐν τῷ πελάγει mihi uidentur suspecta. Ubinam quae dicitur altum petere (ἐξανήγετο) μετεωρισθεῖσα conspicitur nauis? In mari, credo. Quid si accedit, quod multo melius dictum esset ἐς τὸ πέλαγος. Eicienda sunt uerba, ni fallor, tamquam superuacanea, quae sciolus nescio quis obtrusit Thucydidi.

Sed haec hactenus; agamus de translationibus huius generis, quibus usus est Thucydides. 2, 8, 1 ἥ τε ἄλλη Ἑλλὰς μετέωρος ἦν, reliqua Graecia animis erecta erat. Sic etiam 6, 10, 5 καὶ μὴ μετεώρῳ τῇ πόλει ἀξιοῦν κινδυνεύειν.

---

exprimit, attamen ita, ut simul insit significatio quaedam laborum antea exhaustorum, quorum quietem locus, quem adit quis, praebere putatur aeque ac nautis litoris aditus finem efficit aerumnarum in alto superatarum. Eadem uis inest uerbo κέλλειν. Cfr. E. Schwartz, De metaphoris e mari et re nauali petitis, pag. 45.

Scholiasta haec annotat: τῆς πόλεως ἡμῶν οὐκ ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ὁρμούσης· μετενήνεκται δὲ τὸ ὄνομα ἀπὸ τῶν πλοίων τῶν μήπω ὡρμισμένων. Urbs igitur comparatur cum naue, quae nondum salua in portu est collocata.

Eiusdem sunt generis translationes, quas genuit ἀνοκωχή. Proprie dicitur de nauibus. Nam ἀνοκωχεύειν naues dicuntur, ut Hesychius nobis est auctor, ὅταν χειμῶνος ὄντος ἐν πελάγει στείλαντες τὰ ἄρμενα αὐτοῦ σαλεύωσιν; item interpretatur Suidas — τὰ ὀθόνια στήσαντες ἐσάλευον — in ancoris consistere. Translate utitur Thucydides de indutiis (nunquam uero reliqui scriptores Attici). 1, 66; 1, 40, 4; 4, 38, 1; 3, 4, 3; 5, 26, 3; 5, 32, 7; 5, 25, 3. Saepius etiam utitur Cassius Dio. Utitur etiam de malis Thucydides ita ut idem ualeat atque ἀνάπαυλα, 4, 117, 1.

Haec leguntur 8, 87, 4 ἐμοὶ μέντοι δοκεῖ σαφέστατον εἶναι διατριβῆς ἕνεκα καὶ ἀνοκωχῆς τῶν Ἑλληνικῶν τὸ ναυτικὸν οὐκ ἀγαγεῖν. Quod proxime sequitur ἀνίσωσις quodque praecedit ἀνοκωχή inuicem sese interpretantur. Res Graecorum suspensas tenere modo his modo illis fauentes, ut bene Portus; quae notio ex ui morae et tergiuersationis facile prodit. Occurrit etiam uerbum obsoletum διοκωχή. 3, 87, 1. Scholiasta interpretatur διάλειψις, et eandem habet sententiam atque ἀνοκωχή 4, 117, 1, morbus non omnino desierat furere, sed tamen intermissio facta fuerat [1]).

Aut uelis aut remis, prout res postulat, utuntur nauigantes. Translatio inde petita inuenitur 4, 60, 2 τῆς ἀρχῆς προκοπτόντων, 7, 56, 3 Τοῦ ναυτικοῦ μέγα προκόψαντες. Sed nil magis a ueritate abhorret, clamant uiri docti undique prodeuntes. At litem instituamus remque totam iudicum tradamus sententiis. Primum proferam qui testimonium in me

---

1) Huc referenda credo quae leguntur 7, 77, 2 νῦν ἐν τῷ αὐτῷ κινδύνῳ τοῖς φαυλοτάτοις αἰωροῦμαι.

dicere sunt parati; tum ipse causam sum dicturus, atque de testibus detrahere conabor; medii denique sit lectoris utrum ceciderim an uicerim causa iustam ferre sententiam.

Pape aliique contendunt imaginem ab arte ferraria esse sumptam; προκόπτειν hanc haberet sententiam: ictibus continuis aliquid extendere ut opifex ferrareus malleo ferrum procudit. At nihil unde appareat profertur. Classenius, Poppo, Graues (interpretatur: to pioneer) Holden aliique pro certo affirmant προκόπτειν sensu suo idem ualere atque siluam caedendo uiam aperire. Sequuntur antiquum interpretem haec qui annotat: προκοπτόντων = προοδοποιούντων καὶ εὐτρεπιζόντων. At collatis quae leguntur Herod. 1, 190 in fine: ἀνωτέρω δὲ οὐδὲν τῶν πρηγμάτων προκοπτομένων (cfr. Herod. 3, 56. Alcaeus fr. 35) statim apparet non id agi ut uia aperiatur sed ut quid in uia longius progrediatur. Porro ipsius Suidae adhibent auctoritatem: ille enim uerbi uera ac propria significatione dicitur usus haec scribens: ὀχήματι κεχρημένον καὶ διὰ τῆς λεωφόρου προκόπτοντα κατέλαβεν. At Di meliora, cum quis διὰ τῆς λεωφόρου uehitur, non uideo cur iam opus sit uia ut muniatur. Ipse Suidas suum προκόπτοντα interpretatur διερχόμενον. Est itaque uia, non fit. Faciamus uerbi προκόπτειν hanc esse uim ut idem ualeat ac uiam aperire caedendis arboribus, qui fit ut hoc uerbo non utatur Thucydides cum reuera de uia munienda agatur? 1, 100, 2, legitur καὶ ὁδοὺς εὐθείας ἔτεμε et planius etiam 2, 98, 1 ἐπορεύετο δὲ δι' αὐτοῦ τῇ ὁδῷ ἣν πρότερον αὐτὸς ἐποιήσατο τεμὼν τὴν ὕλην. Hic saltem suum locum haberet προκόπτειν. Eiusdem uidetur esse generis uerbum προκόπτειν — nauem remis propellere — ac προελαύνειν, προάγειν, προτρέπειν protrudere, promouere, propellere. Unum adhuc proferre liceat argumentum. Relatione contrariorum saepe quid ualeat uerbum de quo quaeritur luculenter ostenditur. Δεῖ δὲ — Xenophon scripsit Hell. 2, 3, 31 ἄνδρα τὸν ἄξιον ζῆν οὐ προάγειν μὲν δεινὸν εἶναι εἰς

πράγματα τοὺς συνόντας, ἤν δέ τι ἀντικόπτῃ, εὐθὺς μεταβάλλεσθαι, ἀλλ' ὥσπερ ἐν νηὶ διαπονεῖσθαι, ἕως ἂν εἰς οὖρον καταστῶσιν, κ. τ. λ. Recte iudicanti nullum potest remanere dubium, unde similitudo sit orta.

Saepius apud Thucydidem occurrit uerbum translatum ἐπαίρεσθαι 1, 120, 3; 4, 18, 4. Cuius quae sit sententia docet Polyb. 4, 48 ἐπαρθεὶς τοῖς εὐτυχήμασι παρὰ πόδας ἐξώκειλεν. Magni momenti sane esse uidetur illud ἐξοκέλλειν, cum sitne ab arte nauigandi ducta necne metaphora omnem ex animo euellat scrupulum. Opponuntur inter se ἐπαίρειν ἱστία et ὑφιέναι — uela dare et uela contrahere. Cfr. Plut. Luc. 3 μεθ' ἡμέραν μὲν ὑφειμένοις πλέων τοῖς ἱστίοις καὶ ταπεινοῖς, νύκτωρ δ' ἐπαιρομένοις. Raro ut 1, 130, 1 simplici uerbo αἴρειν hoc sensu utuntur Attici.

Uela interdum minuuntur. Cfr. Plut. 128 F ὥσπερ ἱστίον τὸ σῶμα συστέλλειν. Aristoph. Ran. 998. Inde haec translatio 8, 4, 2 εἴ πού τι ἐδόκει ἄχρειον ἀναλίσκεσθαι ξυστελλόμενοι ἐς εὐτέλειαν, contrahentes in parsimoniam. Eandem sententiam praebent quae dicuntur 8, 1, 3 ἐς εὐτέλειαν σωφρονίσαι; et aliis etiam uerbis idem significatur 8, 86, 6, uide pag. 83. Non agitur, credo, de sumptibus priuatis, ut scholiasta intellegit, sed, ut uerba τῶν κατὰ τὴν πόλιν satis indicant, quam in res sacras iuxta atque uanas pecuniam impendebant in belli usum conuertere uolebant Athenienses; et necessitate docti ad disciplinam ac continentiam redire uolebant nullis in rebus modum excedentes. Ipse Thucydides suorum uerborum est fidelis interpres. Latini sic dicunt impensas corripere et modum adhibere sumptibus. Suet. Ner. 16. Rectum cursum ut teneat nauis opus est gubernatore, qui firma manu teneat clauum. Οἴακα νέμειν dicunt Graeci. Uerbum hoc sensu translato uno tantum loco occurrit 8, 70, 1 τά τε ἄλλα ἔνεμον κατὰ κράτος τὴν πόλιν: administrare rempublicam. Cfr. Herod. 1, 59; 3, 39; 5, 29.

Eadem uis uerbo ὀρθοῦν eiusque inest compositis. Bekk. anecd. Graeca 1, 13 ἀπορθοῦν πόλιν ἢ οἰκίαν. — μετενήνεκται δὲ ἀπὸ τῶν ἀπορθούντων τὰς ναῦς τοῖς οἴαξιν. 6, 9, 2 efficere ut reipublicae nauis rectum cursum teneat. 4, 18, 4, καὶ ἐλάχιστ' ἂν οἱ τοιοῦτοι πταίοντες διὰ τὸ μὴ τῷ ὀρθουμένῳ αὐτοῦ πιστεύοντες ἐπαίρεσθαι ἐν τῷ εὐτυχεῖν ἂν μάλιστα καταλύοιντο.

Pulcherrima imagine usi quae sentiunt Lacedaemoniorum legati perpolite eloquuntur. Uiri prudentes rerum politicarum periti tacite comparantur cum naui praefectis, qui fere nunquam nauem ad scopulos adflictam uideant, cum prospere nauigantes rectumque cursum tenentes ne plenis ferantur uelis prudenter caueant. Cfr. 3, 30, 4; 2, 60, 2; 5, 9, 4; 8, 64, 4 etc. Non sunt praetereunda uerba Creontis Soph. Antig. 163 sqq. ἄνδρες, τὰ μὲν δὴ πόλεος ἀσφαλῶς θεοί, πολλῷ σάλῳ σείσαντες, ὤρθωσαν πάλιν. Cfr. ibidem 190 καὶ ταύτης ἔπι πλέοντες ὀρθῆς, 994 τοιγὰρ δι' ὀρθῆς τήνδ' ἐναυκλήρεις πόλιν. Ad idem genus referendum κατορθοῦν, cui saepe opponitur πταίειν, 6, 12, 1 ἢ κατορθώσαντες χάριν μὴ ἀξίαν εἰδέναι ἢ πταίσαντάς που τοὺς φίλους ξυναπολέσαι. Aequum est, dicit Nicias, bona atque corpora nobis ipsis nos impendere, non uero iis quibus pulchrum est mentiri quique si feliciter res peregerint gratiam debitam non referent aut clade accepta amicos secum in perniciem trahent. Haec est imago: si rectum cursum tenuerint — sin uero ad scopulos offenderint secum perdent. Cfr. 8, 2, 1; 6, 38, 2; 2, 42, 4; 3, 42, 6, ubi ὁ κατορθῶν eodem ordine habetur atque ὁ ἐπιτυχών 1, 120, 5. Saepe etiam opponitur σφαλῆναι 3, 39, 7; 3, 14, 1; 2, 65, 7. Idem ualet νέμεσθαι 2, 62, 2. Φέρεσθαι recte, meo quidem iudicio, uir doctissimus Coenen (pag. 18) ubi agit de Aeschyl. Prom. uersu 883: ἔξω δρόμου φέρομαι, sic interpretatur ut dicat ibi non de auriga et curru mentionem fieri sed de naue quae uentis uexata cursum tenere non possit. Cfr. Plato Cratyl. 414 B et 425 A. Sic idem pag. 71

uerba Isocratis Areop. 6 referens dicit, uerbum φέρεσθαι ut saepius dici de naue, quae celeriter currit, — de quo dubitare non potest qui legit uerba proxime sequentia; εἰς τραχύτερα πράγματα ἐποκείλωμεν. Metaphoram hoc uerbum Thucydidi praebuit 2, 60, 3: καλῶς μὲν γὰρ φερόμενος ἀνήρ. Sic 5, 16, 1 εὖ φερόμενος cfr. 5, 15, 2. Eodem pertinet uerbum ἐκφέρεσθαι 4, 12, 1. Propria uerbi uis ex 1, 54, 1 satis apparet, ἐξενέχθη ὑπὸ τοῦ ῥοῦ καὶ ἀνέμου. Eandem habet sententiam uerbum ἐξωθεῖν, cursu excuti (Uerg. Aen. 3, 200), quod translatum inuenitur 6, 34, 6 ἐξωσθῆναι ἂν τῇ ὥρᾳ ἐς χειμῶνα, ut anni tempore exclusi in hiemem incidant, cfr. Herod. 1, 131 ἐκκληϊόμενοι τῇ ὥρῃ, Caes. B. G. 7, 11 diei tempore exclusus in posterum oppugnationem differt, cfr. porro 5, 71, 1; 5, 72, 3. Apud Aesch. Rhes. 319 ἐξώστης dicitur is, qui nauem ex cursu depellit efficitque ut cursum tenere non possit. Herod. 2, 113 ἐξῶσται ἄνεμοι. Eurip. Cycl. 279 πνεύμασιν θαλασσίοις ἐξωσθέντες.

Nonnunquam ad scopulum appellitur nauis. Imagines inde sumptae inueniuntur 6, 33, 6; 1, 69, 5 σφαλῆναι. Sic etiam occurrit πταῖσαι, cfr. Plat. reip. 553 B ἔπειτα αὐτὸν ἴδῃ ἐξαίφνης πταίσαντα ὥσπερ πρὸς ἕρματι τῇ πόλει. Porro 2, 65, 12 αὐτοὶ σφίσι κατὰ τὰς ἰδίας διαφορὰς περιπεσόντες ἐσφάλησαν. Ipsi mutuis discordiis collisi conciderunt; cfr. 7, 25, 7 Herod. 7, 183.

Quidquid nauis cursum impedit, id dicitur ἀντικρούειν. Inde translate dicitur αὐτοῖς τοῦτο πρῶτον ἀντεκεκρούκει; cfr 6, 46, 2.

Ualet idem ac παρὰ γνωμὴν ἀπηντήκει. Huc addere liceat translationem, quae a proelio nauali mihi quidem petita uidetur: ἐβούλοντο .... ξυγκρούειν δ' ὅτι μάλιστα αὐτοὺς ἀλλήλοις 1, 44, 2. Credo equidem Schmidtium (Synonymiek der Griechischen Sprache) errare cum dicit: eigentlich wie wenn man Leute in der Gesellschaft mit den Köpfen zusammenstöszt. Sic de hac re mihi iudicandum uisum est. Sensu

proprio legitur uerbum de quo agitur 7, 36, 5, τῷ ἀντίπρῳρον ξυγκροῦσαι: proris collidi. Cfr. Pol. 1, 50, 3 αἱ νῆες ἀλλήλαις συγκρούουσαι. Usus est igitur Thucydides imagine quam sibi obtulerat proelium nauale atque eo magis adducebatur ut uteretur, quod erant Corinthii aliaeque gentes quae mari nauibusque ualerent, de quibus erat sermo. Cfr. Dem. de Cor. 19 συνέκρουε καὶ ἐτάραττεν. Isocr. Pan. 37, Hor. Epist. 1, 2, 7, bello collidere.

Hoc iam unum addendum uidetur, 8, 75, 1 legitur τῶν πολεμίων ἀντιπρῴρων ἐγγὺς ἐφορμούντων, infestis rostris. Proprio sensu legitur 4, 8, 7; 7, 34, 5. Latius huius uerbi uis patere coepit (8, 53, 2; 8, 75, 1), ita ut idem ualeret ac paratum instructumque esse ad pugnandum. Classi qui praeest naues nauibus hostium aduersas habet, ut signo dato ad aggrediendum sit paratus. Per audacem figuram hoc uerbum idem ualere atque ἐναντίον adnotat Bloomf. Non nisi libro octauo hac translatione usus est Thucydides.

---

§ 15. *Translationes a mercatura sumptae.*

Uerbum χρηματίζεσθαι suam propriam uim habet in eos, qui rem gerere lucrumque facere consueuerunt. Cfr. Polluc. 3, 113. Apud Thucydidem 7, 13, 2 idem est ac ἐμπορεύεσθαι. Transfertur sic ut idem ualeat ac per colloquium aliquid componere uel certis conditionibus aliquid disceptare: λόγους προσφέρειν. Cfr. 5, 5, 1; 1, 87, 5; 6, 62, 4; 5, 61, 1. Usu receptum est χρηματίσαι idem ualere quod πρᾶξαι: agere cum populo, cfr. Isocr. 4, 157, et χρηματίσασθαι quod κερδᾶναι. Legitur 8, 87, 3 uerbum ἐκχρηματίζεσθαι. Apud Poll. 4, 43 numeratur in uerbis quae „extorquere pecuniam" significant. Recentiores eundem huius uerbi faciunt usum. 1, 33,

2 haec inueniuntur: εἰ ἦν ὑμεῖς ἂν πρὸ πολλῶν χρημάτων καὶ χάριτος ἐτιμήσασθε δύναμιν ὑμῖν προσγενέσθαι, αὐτὴ πάρεστιν αὐτεπάγγελτος. Metaphora haec a soluendo pretio, cfr. τιμιώτερον, 8, 81, 2, χαρὶν μὴ ἀξίαν, 6, 12, 1, ubi ἄξιος idem ualet ac τίμιος. Amauerunt ueteres hanc comparationem; passim occurrit: 1, 32, 2; 1, 138, 2; 3, 6, 2; 5, 15, 1. Herod. 1, 86. Xenoph. Anab. 1, 7, 3. Isocr. 13, 11. Xenoph. Mem. 2, 5, 3.

Emebant prisci homines non pecunia sed compensatione mercium. Translationes inde natae sunt 1, 120, 3 τὸν πόλεμον ἀντ' εἰρήνης μεταλαμβάνειν, cfr. 6, 77, 1. Μεταβολή sensu proprio 6, 32, 5, translato uero occurrit 6, 76, 3; 6, 18, 8. Legitur 3, 40, 1 ὠνητὴ ἐλπὶς χρήμασιν: pecunia spes uenalis.

Debitum soluendum est, cfr. 8, 45, 2 προυφείλειν μισθόν. Haec inde translatio: 4, 19, 3 qui beneficio prouocatus est hostis (ὀφείλων) magno debito obstrictum se sentit, non ita ut ui coactus se defendat sed ut quod debet exsoluat (ἀνταποδοῦναι) acceptam referens gratiam. Sic legitur ὀφείλημα una cum uerbo ἀποδιδόναι 2, 40, 4. — 1, 32, 1 προυφειλουμένης εὐεργεσίας, cfr. Herod. 5, 82. Legitur 2, 60, 6. Χρήμασι νικώμενος τὰ ξύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν ἀπόδοιτο, cfr. 1, 134, 4. Sic occurrit etiam ἀνταποδιδόναι 3, 63, 4; 3, 40, 7.

Uerba κέρδος, κερδαλέως et κερδαίνειν translata saepe inueniuntur 3, 56, 6; 7, 68, 3; 5, 93; 3, 33, 3; 4, 69, 1. Translatio quidem quam quaerimus haec non est, quae legitur 8, 81, 3, στρωμνὴν ἐξαργυρῶσαι, est decens ueri superlatio, qua saepius utuntur orientis incolae: etiamsi lectum se uendere oporteret. Saepe apud alios occurrunt eius modi barbarae uanitates. Xen. Hist. Gr. 1, 5, 3, καὶ τὸν θρόνον κατακόψειν. Cfr. Aristoph. Lys. 114.

Saepissime occurrunt apud scriptores cuiuscunque generis translationes petitae a ponderatione. Nec mirum: iis enim quae cotidie cernuntur facile quisque adducitur ut quae in

eadem fere causa uersentur, distincte ornateque indicet nominibus translatis ab iis, quae cotidiano usu sunt cognita. Exemplar ad imitandum posteris proposuit Homerus. Notissimi sunt illi uersus: Il. 8, 70 et Il. 22, 210, quibus poeta Iouem sortes Graecorum et Troianorum, Hectoris Achillisque lancibus aureis facit imponentem ad examinanda eorum fata. Sunt quaedam maiora quam quae examinari possint. Translatio inde orta est 3, 59 1, *ὡς ἀστάθμητον τὸ τῆς ξυμφορᾶς*; et 4, 62, 4 *τὸ δ' ἀστάθμητον τοῦ μέλλοντος ὡς ἐπὶ πλεῖστον κρατεῖ.*

Plataeenses ut crimine se purgarent Lacedaemoniis responderunt: quare aequum est uos aequo examine omnia ponderare, ut si modo aliquod a nobis peccatum sit commissum, in altera librae lance iam ponatis illud nostrum animi studium, quo tunc erga uos fuimus, *τῆς νῦν ἁμαρτίας, εἰ ἄρα ἡμάρτηται, ἀντιθεῖναι τὴν τότε προθυμίαν, καὶ μείζω τε πρὸς ἐλάσσω εὑρήσετε*; quae ultima uerba satis imaginis originem indicant, 3, 56, 5. In examine quid sit faciendum id ne plurimum ponderis habeat — *μὴ ἀντιτιθέναι* — quod illi nobis auxilium non tulerunt 6, 18, 1. Inueniuntur haec 2, 85, 2 *οὐκ ἀντιθέντες τὴν 'Αθηναίων ἐκ πολλοῦ ἐμπειρίαν τῇ σφετέρᾳ δι' ὀλίγου μελέτῃ.* Sic saltem legit Herwerdenus Cobeto auctore. Collatis uero quae leguntur 3, 56, 5 et Eurip. Iphig. Taur. 358 *τὴν ἐνθάδ' Αὖλιν ἀντιθεῖσα τῆς ἐκεῖ*, haud absurda mihi uidentur quae libri nobis tradiderunt uerba: *τῆς σφετέρας . . . μελέτης.* Et Classenius, et qui eum secutus est Steupius, alio modo hunc locum sibi interpretandum esse putant. Haec enim docent: eigentlich von Rechnen, wie auch *ἀνατιθέναι, μετατιθέναι*: in Anschlag bringen gegen etwas. At perperam de hac re iudicauerunt, quod cuiuis attente qui legerit supra quae scripsimus facile, credo, apparebit.

Quodcunque a ponderante in alteram lancem imponitur aut momentum affert aut saltem auget pondus. Cfr. Plut.

581 A ἰσορροποῦντι δὲ βάρει προστιθεμένη κλίνει τὸ σύμπαν ἐφ' ἑαυτήν. Uerbum προστίθεσθαι sic translatum occurrit saepe ubi agitur de suffragiis 1, 20, 4; 5, 62, 1; 6, 50, 1.

Huc pertinere uidetur 1, 105, 6 καὶ μάχης γενομένης ἰσορρόπου.... ἐνόμισαν αὐτοὶ ἑκάτεροι, οὐκ ἔλασσον ἔχειν. Et 5, 104 τῆς δὲ δυνάμεως τῷ ἐλλείποντι τὴν Λακεδαιμονίων ἡμῖν ξυμμαχίαν προσέσεσθαι. Proxime praecedit quod multum ad rem facit, uerbum ἐλασσώσεσθαι.

Trutinae inclinatio dicitur Graece ῥοπή, quod uocabulum deriuatum est a uerbo ῥέπειν (uergere, inclinare), cuius composita sunt ἀντιρρέπειν et ἐπιρρέπειν. Iam antiquitus metaphorice usi sunt his uocibus poetae. Hom. Il. 8, 72; 22, 212. Cfr. Uerg. Aen. XII, 725. Iuppiter ipse duas aequato examine lances Sustinet et fata imponit diuersa duorum Quem damnet labor et quo uergat pondere letum. Thucydides inde hanc mutuatus est translationem 5, 103, 2 ἐπὶ ῥοπῆς μιᾶς ὄντες, in uno discriminis momento uersantes. Uocula μιᾶς totius sententiae uim uehementer auget. Cfr. Eurip. Hipp. 1163, qui addit μικρᾶς. Eurip. Hel. 1090 βλέπω δύο ῥοπάς. Soph. Trach. 82 ἐν ῥωπῇ τοιᾷδε κειμένῳ. Quidquid additur quamuis minimum lanculam deprimit, cfr. Homeri ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆ. Memoranda etiam uerba Ciceronis Acad. Prior. 2, 12, 38: Ut enim necesse est lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum in perspicuis cedere. 2, 42, 2 ἰσόρροπον est quod paribus ponderibus est examinatum καὶ οὐκ ἂν πολλοῖς τῶν Ἑλλήνων ἰσόρροπος ὥσπερ τῶνδε ὁ λόγος τῷ ἔργῳ φανείη, nec multos Graecos inueneris quorum pariter atque horum dicta factis exaequata appareant. Haec laus omnino opponitur reprehensioni, quae his continetur uerbis: ὧν ὁ λόγος τοῦ ἔργου ἐκράτει 1, 59, 5. Dem. I, 10 aliique ut Xenoph. Oec. 3, 15 pro ἰσόρροπος uoce ἀντίρροπος saepe utuntur. Dicitur μάχη ἰσόρροπος 1, 105, 5 et ναυμαχία 7, 71, 1, est igitur eiusmodi

pugna anceps. Huc referendum uidetur 5, 32, 3 μέγα μέρος ὄν, praesertim collatis iis, quae sequuntur εἰ σφίσι προσγένοιτο. Id enim, quod alicui rei additur affert momentum. Sic etiam 8, 87, 4 ἀνισώσεως δέ, ὅπως μηδετέροις προσθέμενος ἰσχυροτέρους ποιήσῃ; Tissaphernes classem ideo non adduxit quod neutros uolebat nec Lacedaemonios nec Athenienses praeponderare. Pari momento librantur partes, sed aequitatem turbaret Tissaphernes his uel illis se adiungens (προσθέμενος). Ceterum operae pretium est animaduertere quomodo haec uocabula ἀνίσωσιν dico et ἀνοκωχήν sese interpretentur. Uno tantum loco legitur uerbum ἀντισοῦν 3, 11, 1. Aegre enim ferrent, cum maior pars iam illis cedat τοῦ ἡμετέρου ἔτι μόνου ἀντισουμένου. Recentiores saepius hoc utuntur uerbo; quare Hampke apud Steupium putat haec uerba postea esse inserta. Restat iam ἐπανισοῦν, 8, 57 ὥσπερ ἐβούλετο ἐπανισοῦν τοὺς Ἕλληνας, ut prouidere uolebat, ne aequa Graecorum conditio turbaretur.

Ludo et ioco uti quidem licet, sed sicut somno et ceteris quietibus tum, cum grauibus seriisque rebus satisfecerimus. Ea est uita hominum. Agamus igitur nunc de translationibus, quae huc sunt reuocandae.

---

§ 16. *Translationes petitae a ludis.*

Scimus, sic scribit Coenen [1]), ludos maxime in deliciis fuisse Graecis, imprimis Atheniensibus, quod nisi aliunde notum esset, iam ex ipsa populi indole conici liceret, quem historia docet fuisse temerarium maxime, maximae leuitatis, supra uires audacem. Thucyd. 1, 70.

Sescenties legitur uerbum κινδυνεύειν, in aleam dare siue

1) Coenen pag. 118.

in discrimen afferre. Καὶ τῇ πόλει δαπανῶντας τὰ οἰκεῖα μὴ κινδυνεύειν, se suaque in discrimen afferre 6, 47, 2; Herwerdenus sanusne sit locus dubitare se dicit. Collatis uero iis quae leguntur 2, 65, 7 μηδὲ τῇ πόλει κινδυνεύοντας et 6, 10, 5 καὶ μὴ μετεώρῳ τῇ πόλει ἀξιοῦν κινδυνεύειν [1]), non uideo cur sit dubitandum. Badhami coniectura illa, καὶ ἔτι πλείω, quamuis acuta non uïdetur esse necessaria. 2, 35, 1 καὶ μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλῶν ἀρετὰς κινδυνεύεσθαι εὖ τε καὶ χεῖρον εἰπόντι. Neque committendum esse ut multorum uirtutes in uno uiro periclitarentur. Sic Pericles in celebri oratione funebri. Quod praepositionem ἐν attinet cfr. Eurip. Cycl. 654 ἐν τῷ Καρὶ κινδυνεύσομεν et Isocr. 4, 86 ἐν ἀλλοτρίαις ψυχαῖς κινδυνεύσομεν. Eurip. Iph. T. 1057. Plat. Lach. 187 B.

De bello loquentes dixerunt Athenienses 1, 78, 2 μηκυνόμενος γὰρ .... ἐν ἀδήλῳ κινδυνεύεται. Bellum enim quod producitur plerumque casus uarios habere solet, a quibus et pariter absumus et utro modo res sit cessura periculosa alea tentatur. Legantur quae inueniuntur 1, 20, 3; 3, 5, 3; 3, 45, 6; 4, 117, 2; 5, 9, 2; 6, 9, 3; 8, 45, 4 et alibi. Dignum quod commemoretur est illud Platonis Protag. 314 A κυβεύειν καὶ κινδυνεύειν. 5, 91, 2 reperitur κινδυνεύεσθαι, nostrum sit periculum dicunt Athenienses, καὶ περὶ τούτου ἡμῖν ἀφείσθω κινδυνεύεσθαι. — 3, 39, 8 ἡμῖν δὲ πρὸς ἑκάστην πόλιν ἀποκεκινδυνεύσεται τά τε χρήματα καὶ αἱ ψυχαί. Nos contra uitam nostram ac pecuniam in aleam dabimus. Παρακινδυνεύειν legitur 4, 26, 6; 3, 36, 2. Διακινδυνεύειν 8, 79, 3; 1, 63, 1; 4, 29, 2; 7, 60, 5. Saepe etiam eodem sensu occurrit κίνδυνος. 5, 46, 1; 3, 56, 5; 4, 86, 6; 7, 77, 2. Cfr. 5, 16, 1; 7, 68, 3 et imprimis 7, 68, 3.

Quicunque rem laboris multi ac periculi aggreditur ἀναρ-

---

1) Duae quidem imagines (vide pag. 87) mixtae, totum tamen non est confusum, quia ante omnia premitur τὸ κινδυνεύειν.

ῥιπτεῖν dicitur, quae translatio e tesserarum talorumue iactu est nata. Cfr. Menandri illud peruulgatum, quod Caesar olim fecit suum, ἀνερρίφθω κύβος iacta alea esto. Eurip. Fragm. Dind. 406.

Legimus 5, 103, 1 τοῖς δ' ἐς.... ἅπαν τὸ ὑπάρχον ἀναρριπτοῦσι. Graues hunc locum sic interpretans: „throw the dice, run the risk, so as to extend to their all," prouocat ad 4, 92, 4 ἐς πᾶσαν εἶς ὅρος παγήσεται. Badhamus citat τοῖς δ'ἐς (ἑαυτὴν) ἅπαν. „Leuius possis" Herwerdenus inquit, „τοῖς δ'ἐς (ἑ) ἅπαν". Alii ἐς ἅπαν interpretantur παντάπασιν, alii περὶ ἅπαντος, neutri probabiliter. Classenius proponit ἀναρρίπτουσα i. e. ἐλπίς. Sed probe auimaduertendum est ἀναρριπτεῖν dici de eo, qui periculum subit, non uero de spe, quae periculum creat. Mihi uero omnibus rite perpensis uidetur Thucydidis manus sic esse restituenda: τοῖς δ'ἐς αὐτὴν τὰ ὑπάρχοντα ἀναρριπτοῦσι. Cfr. 1, 144, 4 ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπάρχοντα ἐκλιπόντες. Thucydides haec, credo, dicere uoluit: ab iis autem, qui spei omnino dediti, omnia quae habent dant in aleam — prodiga enim est natura — simulac grauiter decepti lapsi sunt, qualis reuera est talis cognoscitur. Hoc non praetereundum uidetur; cum παραμύθιον uulgo iungatur genitiuo casui — Cfr. Soph. Elect. 126. Plat. legg. 11, 885 B. 1, 632 B. Euthyd. 272 B — forte sic legendum est: κινδύνων παραμύθιον.

Eandem quam ἀναρριπτεῖν uim habere παραβάλλεσθαι et παρατίθεσθαι ex multis locis Homericis abunde patet. At Homerus tesserarum ludum non nouisse uidetur, nouit talorum. Il. 23, 88. Cfr. Il. 9, 322. Od. 3, 74; 2, 237; 9, 255. Tragici etiam hoc uerbo sic saepius usi sunt.

Proprie igitur hanc uim habent: in alueolo, in quo tesseris luditur, ponere aliquid; inde latius patere coeperunt et prorsus idem esse atque in periculum adducere. Apud Thucydidem legitur 1, 133 ὡς οὐδὲν πώποτε αὐτὸν ἐν ταῖς πρὸς βασιλέα διακονίαις παραβάλλοιτο. At hic quanta pugna est

inter uiros doctos! Uerbum „παραβάλλεσθαι" scholiasta παραβόλως κατηγορῆσαι ἢ ὑπόπτως διακονῆσαι explanauit. Suidas, Photius aliique ueteres grammatici hoc uerbum idem ualere atque ἐξαπατῆσαι affirmant. In discrimen autem siue periculum adducere interpretatur Reiskius aliique recentiores ut Boehmius, Classenius. Kruegero uidetur hoc ualere: neglegenter administrare. At hoc aenigma qui aperuerit uerus Oedipus putandus erit, equidem non uideo quomodo quam uerbo Kruegerus tribuit uis, ex ipso uerbo erui possit. Qui porro hunc locum sic intellegunt ut uerbum παραβάλλεσθαι latine reddant his uocibus „neglegenter efficere" multo melius pro παραβάλλοιτο mihi παραμελοίη conicere potuisse uidentur. Ego si quid uideo nullo negotio, quae Thucydides scripsit quaeque scribere debuit, cum sententiarum ipse ordo postulare uideatur, interpretari me posse confido. Fideliter tibi seruiens, sic fere loquitur Argilius, quaecunque tibi cum rege intercedebat ratio, nunquam ego te, cum possem periculis obieci. Praeclaram nunc mihi refers gratiam quod me bene de te meritum interfici iubes. Legimus 5, 113 καὶ Λακεδαιμονίοις καὶ τύχῃ καὶ ἐλπίσι πλεῖστον δὴ παραβεβλημένοι καὶ πιστεύσαντες πλεῖστον καὶ σφαλήσεσθε. Scholiasta interpretatur ἐπιτρέψαντες παραβόλως. Quod sub unum fortunae ictum omnia cadere passi estis, omnia perdetis. Uehemens tamen contentio inter uiros doctos, quid sit legendum. Herwerdenus uerba καὶ πιστεύσαντες delenda proponit, sed iniuria credo; melius Classenius unam uoculam deleuit καί. Poppo uerba tradita retinenda censet prouocatque ad Arist. Plut. 243, πόρναισι καὶ κύβοισι παραβεβλημένος. Sic hoc uerbum idem ualeret quod „confidere", quod mihi nullo modo probatur.

Uulgo his uerbis ἀναρριπτεῖν et παραβάλλεσθαι addita inuenitur certa definitaque res, quae in aleam datur. Cfr. 2, 44, 3 παῖδας παραβαλλόμενοι; 3, 65, 2 πλείω; at 4, 85, 4 quocum

Poppo confert 3, 14, 1; 4, 95, 2; 6, 13, 1 non agitur de aliqua re, quae in medium confertur, sed ipso periculo luditur. Cfr. Aesch. Sept. 1028 et Herod. 7, 50; Bekk. An. Gr. 18, 1. 3, 32, 3 haec leguntur: ναῦς Πελοποννησίων εἰς Ἰωνίαν παραβαλεῖν. Controuersia est inter uiros doctos sitne hoc loco ea uerbi uis, ut simpliciter ualeat idem quod traicere διαβάλλειν, an traicere audere interpretari liceat? Credo equidem Classenium causa uicisse, quod cuiuis apparebit attente qui legerit Polyb. 1, 11 παραβάλως περαιωθείς et Thucyd. 3, 36, 2 νῆες ἐς Ἰωνίαν ἐκείνοις τολμήσασαι παρακινδυνεῦσαι.

Ludenti si tesserae minus feliciter ceciderunt unum restat, ut calculos apte disponat, quod Graeci dicebant καλῶς, εὖ, nonnunquam etiam ὀρθῶς θέσθαι. Omne dubium tollit Plato Reip. 10, 604 C sic scribens: ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων πρὸς τὰ πεπτωκότα τίθεσθαι τὰ ἑαυτοῦ πράγματα. Praeterea μετατίθεσθαι, pro quo saepe ἀνατίθεσθαι, recte Suidas explicauit: τὸ μετατίθεσθαι ἀπὸ τῶν πεττευόντων καὶ τὰς κεκινημένας ἤδη ψήφους διορθούντων; quod latini dicunt retractare siue reducere. Cfr. Herw. Ion. 426 ἀνατίθεσθαι proprie est in πεττῶν ludo alium calculum ponere (Harpocr. s. u.) deinde per metaphoram: retractata sententia errorem emendare. 6, 11, 6 haec occurrit translatio. Neque credendum est Lacedaemoniis ob contumeliam acceptam aliud cogitare nisi quomodo nunc etiam, si possint, σφήλαντες ἡμᾶς τὸ σφέτερον ἄπρεπες εὖ θήσονται. Cfr. 1, 75, 4; 5, 18. 11; 8, 53, 3; 1, 31, 3 etc. Et 6, 89, 3 μετὰ τἀληθοῦς σκοπῶν ἀνατιθέσθω. Si quis, Alcibiades ait, immerito mihi irascebatur, nunc ex uero rem examinans sententiam mutet. Cfr. Cic. fragm. apud Non. 170, 30 ut calculum reducas si te alicuius dati paenitet. Quod attinet μετατίθεσθαι uideantur 8, 53, 3; 5, 18, 11. Ambigitur de 4, 59, 4 τὰ γὰρ ἴδια ἕκαστοι εὖ βουλόμενοι δὴ θέσθαι. Suis rebus priuatim bene consulere. Scholiasta interpretatur: οἰκονομῆσαι. Kruegerus tamen se rem acu tetigisse credit, cum

deleuerit quasi glossema uerbum θέσθαι et βουλευόμενοι, quod uerbum est traditum, retinendum proposuerit. At non uideo quem auctorem secutus sententiam modo numeroque priuandi credat sibi esse licentiam. Cfr. 4, 61, 6; 8, 84, 5. Καλῶς θέσθαι reperitur 4, 17, 4. Scholiasta interpretatur ἐπαινετῶς διοικῆσαι. Εὐπρεπῶς θέσθαι 1, 82, 6. Cfr. Hor. Od. 3, 29, 32. Quod adest memento componere aequius. Occurrit etiam simpliciter τίθεσθαι 5, 80, 1; 1, 25, 1. Huc etiam pertinere uidentur 5, 46, 1 εὖ ἑστώτων τῶν πραγμάτων et 1, 41, 3 τὰ οἰκεῖα χεῖρον τίθενται.

---

§ 17. *Translationes a palaestra sumptae.*

Ludis gymnicis uicisse praesertim quibus Thucydides fuit temporibus laus summa erat; quam ob rem in deliciis habebantur ludi sermonique cotidiano praebebant argumentum, cum in lingua personaret, quod in corde abundaret. Secundum natiuum uerborum sensum occurrit ἀγών 1, 6, 5 ἐν τῷ Ολυμπιακῷ ἀγῶνι. Cfr. 5, 50, 5. Transtulit autem alios secutus Thucydides ubi agitur de bello de bellique laboribus. Sic de proelio nauali 2, 89, 8 de pugna 4, 95, 2. De quocunque certamine 2, 45, 1 ὁρῶ, Pericles inquit, μέγαν τὸν ἀγῶνα; filiis autem horum uel fratribus, quotquot adestis, magnum uideo propositum esse certamen; 3, 57, 3 δύο ἀγῶνας τοὺς μεγίστους ὑπέστημεν: illud tunc ne fame necaremur nunc hoc ne capitis damnemur, de certamine oratorum οὐ λόγων τοὺς ἀγῶνας προθήσοντες ἀλλ' ἔργων 3, 76, 6. Sic quoque de oratoribus agens 3, 40, 3 Cleon dicit ἕξουσιν ἐν ἄλλοις ἐλάσσοσιν ἀγῶνα: suam inuenient arenam. Eadem Cleon cogitabat haec cum dicebat: ἁπλῶς τε ἀκοῆς ἡδονῇ ἡσσώμενοι καὶ σοφιστῶν θεαταῖς εἰκότες καθημένοις μᾶλλον ἢ περὶ πόλεως βουλευομένοις 3, 38, 7. Apertis his uerbis Cleon, qui putat omnia reipu-

blicae mala inde nasci, quod oratoribus pulchrisque uerbis populus magis magisque delectetur, grauiter carpit eos, qui nihil ad se pertinere arbitrentur, nisi attente audire sophistarum ἐπιδείξεις. Rempublicam non curant; sedent θεαταὶ λόγων (cfr. 4), ideo tantum, animi causa certamini ut adsint, non uero ut discant quid sit consulendum, quid in quaque re faciendum. Plectuntur Protagoras, Prodicus Gorgiasque. Cfr. Plin. Epist. 6, 12, 2. Plato Menex. 235 D. Ceteroqui de oratoribus coram populo uerba facientibus frequentius occurrit ἀγωνίσασθαι quam ut multis opus sit uerbis. Significat uulgo in ostentationem comparatam orationem, qua docet Thucydides homines imprimis delectari 1, 22, 4.

Dicitur etiam ἀγών 2, 89, 10 id quod certamini est propositum, et certaminis praemium 7, 68, 3. Cfr. 2, 42, 1. Ξυνέσεως ἀγῶνι legitur 3, 37, 5 sapientiae ostentatio ac uenditatio. Cfr. 3, 49, 1, quibus uerbis pulchra continetur certaminis imago, ἀγῶνα δόξης certamen opinionis. Huius uerbi notio paulatim et pedetentim ita infirmatur ut idem ualeat ac quaestio, id de quo quaeritur; cfr. 3, 44, 1 et 4, 63, 2 si uerum est quod acute coniecit uir doctissimus Leeuwenius, qui uerba absurda ἀλλὰ καὶ ἄγαν εἰ τύχοιμεν sic correxit ut aptum sensum praebere uideantur: οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι ὁ ἀγὼν ἡμῖν ἔσται ἀλλὰ καὶ εἰ τύχοιμεν.

Sequitur ἀγώνισμα. Habet haec uox in uniuersum significationem laudis et dicitur de omnibus praeclaris studiis ac facinoribus, quae gloria sequitur. 8, 12, 2 Καὶ μὴ Ἄγιδος τὸ ἀγώνισμα τοῦτο γενέσθαι, nec Agidis hoc praeclarum factum esse. 7, 86, 2 ὁ γὰρ Γύλιππος καλὸν τὸ ἀγώνισμα ἐνόμιζέν οἱ εἶναι.... τοὺς ἀντιστρατήγους κομίσαι Λακεδαιμονίοις. Fere idem ualet quod ἐπᾶθλον. Cfr. Plut. Nic. 27, 5 μέγα δ' ἡγεῖτο πρὸς δόξαν (Γύλιππος) εἰ ζῶντας ἀπαγάγοι τοὺς ἀντιστρατήγους. Eodem sensu occurrit 7, 56, 2; 7, 59, 1; 8, 17, 2. Cfr. Aristoph. Ran. 284. Ualet igitur idem quod uerbum

Gallicum „chef d'oeuvre". 3, 82, 7 ἀγώνισμα ξυνέσεως prudentiae praemium; quocum comparetur 1, 33, 2 ἀρετή. Idem denique uerbum legitur 1, 22, 4 in iis quorum laus longe lateque uagatur; hic ualet idem atque opus quoddam, ut in certamine, non ad usum sed ad ostentationem comparatum. Κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παράχρημα ξυγκεῖται. Apud Pol. 3, 31, 12 opponitur uoci μάθημα. Si quis historias scribens non narrat quare et quomodo aut cuius in gratiam quaeque res gesta sit et utrum res bonum habuerit exitum necne, silentio praeterit τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀγώνισμα μὲν μάθημα δὲ οὐ γίγνεται. Respiciunt haec uerba certamina Graecorum musica ac poetica. Putant nonnulli his uerbis tecte carpi Herodotum, qui cum historias suas recitasset ingenti omnium plausu exceptus fuerit. Atque attente qui legerit 1, 20, 3 (in fine) negare non poterit, credo, hanc opinionem esse uerisimilem.

Ἅμιλλα legitur sensu fere proprio 6, 32, 2. Atque primum longa serie nauigantes in Siciliam profecturae naues iam ad Aeginam usque ἅμιλλαν ἐποιοῦντο. Translato sensu 8, 6, 2. Tissaphernem inter et Pharnabazum πολλὴ ἅμιλλα ἐγίγνετο. Et 6, 31, 3 translate utitur uerbo ἁμιλλᾶσθαι, magno studio inter se certaverant armorum et uestitus elegantia. Eodem modo cum utitur uerbo ἀγωνίζεσθαι 1, 69, 5 auctori palaestra obuersatur: ἐς τύχας πρὸς πολλῷ δυνατωτέρους ἀγωνιζόμενοι καταστῆναι. Sic 8, 68, 1 „τοὺς ἀγωνιζομένους" et in causis, quae in iudicio et in iis quae apud populum aguntur. Cfr. 5, 69, 1; 4, 87, 6; 8, 89, 4. Et 4, 92, 7 ἀνανταγώνιστοι ἀπ' αὐτῶν οὐκ ἀπίασιν non sine certamine discedent, et ἀνταγωνιζόμενοι τοῖς λέγουσιν 3, 86, 6. Porro ξυναγωνίζεσθαι 3, 82, 8. Eiusdem generis esse uidetur 5, 101 πρὸς τοὺς κρείσσονας πολλῷ μὴ ἀνθίστασθαι. Comparatio quaedam inest his uerbis: ἰδίᾳ δ' ἐταινίουν τε καὶ προσήρχοντο ὥσπερ ἀθλητῇ. Ut haec Thuc. scripsit de Brasida sic de Pericle Plut. Pericl. 28.

Sequitur uocabulum *ἀντίπαλος*. Generatim hoc statuendum uidetur: *ἀντίπαλον* apud Thucydidem passim dici de iis, quae aequis inter se opponuntur uiribus. Neque apud Thucydidem quae huic uerbo apud alios notio sit subicienda quaerendum est, sed uerbum quid ualeat apud ipsum uidendum. Legitur 2, 89, 6, *ἀντίπαλοι μὲν γὰρ οἱ πλείους ὥσπερ οὗτοι, τῇ δυνάμει τὸ πλέον πίσυνοι κ. τ. λ.* Dubitatur, sic scribit Poppo, utrum haec uox hic significet pares uiribus an aduersarios pugnam committentes. At hic qui dubitat non uideo cur non idem de quacunque re dubitare possit. Quae enim sequuntur *οἱ δ' ἐκ πολλῷ ὑποδεεστέρων καὶ ἅμα οὐκ ἀναγκαζόμενοι* omne, si forte est, expellunt dubium. 1, 3, 3 *ἀντίπαλον ἐς ὄνομα ἀποκεκρίσθαι.* Missis iis omnibus, quae uiri docti de horum uerborum interpretatione disputant nodum expedimus sic uertendo: „Graecos separatim significare nomine quod aliis par est;" nam quomodocunque verteris eadem manebit uocabuli notio. 3, 11, 1 *τὸ δ' ἀντίπαλον δέος μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν.* Metus qui pendet ex aequabilitate uirium utrarumque partium solus societatem facit fidelem. Cfr. Tac. Germ. mutuo metu. 3, 38, 1, Ultio statim si sequatur iniuriam: *ἀντίπαλος*. Cfr. 1, 11, 1; 1, 91, 7; 1, 143, 1; 6, 23, 1; 2, 45, 1 *Φθόνος γὰρ πρὸς τὸ ἀντίπαλον, τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται,* inuident uiui aemulis; qui uero mortui sunt neminem habent aduersarium. Ceterum hunc locum qui interpretantur diuersas ineunt uias; aut actiue aut passiue, ut dicunt, adiectiuum *ἀνανταγώνιστον* explicant. Scholiasta interpretatur: *ἀναμφίβολος*: a qua pugna abest; est igitur *ἀνανταγώνιστος εὔνοια*: beneuolentia nulla inuidia turbata. Quidquid est, uerborum uis eadem manet: qui nemini iam obstaculo est, in eius laude uno omnes ore beneuoli consentiunt. Eandem fere sententiam continent uerba Alcibiadis 6, 65, 5. Cfr. 2, 61, 4; 3, 9, 2, (7, 12, 4 dicitur de nauibus numero paribus) 4, 120, 2; 6, 17, 8 *ὑπόλοιπον γὰρ ἡμῖν ἐστιν*

ἀντίπαλον [ναυτικόν], pro ἐστι forte melius legitur ἔσται et optimo iure Herwerdenus ultimam uocem abesse mauult. Porro legantur 2, 89, 6; 4, 92, 4; 4, 105, 1; 2, 49, 1; 3, 49, 1. Ἀντίπαλα occurrit 7, 13, 2; 4, 117, 2. Utroque loco idem ualet ac parem esse, ita tamen ut hic augeantur illic minuantur opes. Operae pretium est animaduertere quae modo hic modo illic τῷ ἀντιπάλῳ opponantur; 1, 122, 2, post ἀντιπάλους leguntur uerba δυνατώτεροι et χειρώσονται; 5, 8, 3 et 2, 89, 6 post idem uerbum sequitur ὑποδεέστερος. Digna, quae notentur, uidentur ἀντίπαλον κίνδυνον 4, 73, 4. Hic enim non aequabilitas uirium sed animus ad τὸ ἀντιπαλαίειν paratus designatur. Cfr. 4, 92, 4. Aduerbium ἀντιπαλῶς legitur 8, 87, 4 sed hoc uno tantum loco; nec saepius occurrit quod ibi oppositum inuenitur ὑποδεεστέρως: cum tunc pari potius quam inferiore classe aduersus hostes essent in statione. Sequitur ἰσοπαλής 4, 94, 1 et 2, 39, 1, quod uerbum idem ualet ac quod praecedit: utroque loco agitur de aduersariis numero non inferioribus. Posteriore loco uulgo legitur ἐπὶ τοὺς ἰσοπαλεῖς κινδύνους. Recte Herwerdenus, Stahlio inuito, transposuit uerba ἰσοπαλεῖς ἐπὶ τοὺς κινδύνους. Idem ualet κίνδυνος ac ἀγών. Classenius putat uerbum hoc ab aduersariis in ipsam pugnam esse translatum; apud Cassium Dionem 44, 30 legitur ἀγὼν ἰσοπαλής. At quidquid est haec mihi loci uidetur sententia: quamquam remissiore uitae genere utimur tamen hostibus pares esse possumus nec nobis opus est molesta illa Lacedaemoniorum disciplina, παιδεία.

Qui certamen inire cupiunt saepe se exercent. Inde translatio 1, 18, 3 μετὰ κινδύνων τὰς μελέτας ποιούμενοι, usu etiam peritiores periculis edocti euaserunt. Cfr. Plut. Dem. 6, ἐγγυμνασάμενος κατὰ τὸν Θουκυδίδην ταῖς μελέταις οὐκ ἀκινδύνως κ. τ. λ. 2, 39, 4. Lacedaemonii continua et laboriosa exercitatione defessi cum iis reuera decertandum est, minus sunt audaces.

Notum est ex iis Lucianus quae scripsit Hermot. 40—43 qui certaturi essent non nisi sortitos certaminis participes esse potuisse. Quot erant qui sortiri uellent tot in urna erant sortes litterarumque formae singulae singulis congruentes, ita tamen ut, pugnatorum impar si esset numerus, littera una, cui non alia responderet, adderetur. Litterarum formas similes sortitis inter sese erat dimicandum, uictoque succedebat uicarius is, cui sors aduersarium non indicauerat; ἔφεδρος dicebatur ille tertiarius. Saepe uarii uariis modis hac imagine usi sunt scriptores et poetae. Aristoph. Ran. 792. Eurip. Or. 1627. Xenoph. Anab. 2, 5, 10, Soph. Aiax. 609 et Thucyd. 4, 71, 1 ἐγγὺς ἐφεδρευόντων Ἀθηναίων, 8, 92 7 ἐφεδρευόντων ἐγγὺς τῶν πολεμίων.

Huc referendum uidetur 5, 58, 4 καθῆσθαι: in speculis esse: ᾗ οἱ Ἀργεῖοι ἐκάθηντο.

In certamine aduersarius aduersarium uariis artibus subire consueuit. Hinc uariae translationes. Καθαιρεῖν dicitur de eo, qui in certamine subuertit aduersarium; quod docet Plato Prot. 343 C, εἰ καθέλου τοῦτο τὸ ῥῆμα ὥσπερ εὐδοκιμοῦντα ἀθλητήν. Cfr. 5, 103, 1 Ἐλπὶς δὲ .... τοὺς μὲν ἀπὸ περιουσίας χρωμένους αὐτῇ, κἂν βλάψῃ οὐ καθεῖλε. Ultima uerba prioris capitis: καὶ ἡμῖν .... ἔτι καὶ στῆναι ἐλπὶς ὀρθοῖς ad eandem imaginem sunt referenda; semel igitur hac translatione usus perseuerat Thucydides. „Rem si strenue agamus," dicunt Melii, „spes est fore ut stemus recti." „Immo" — Athenienses respondent — „si qui sperant et alia habent quibus confidere possint, spes fallere quidem poterit in ancipiti uero eos non ponet." Tota porro haec Melios inter et Athenienses altercatione e palaestra sumptae occurrunt imagines. Sic etiam 1, 121, 4. Haec uerba Thucydides cum scribebat palaestrae imago eius oculis obuersabatur. Mente enim sibi fingebat duo athletas, quorum alter altero cum usu atque cien ti a inf eriorem se esse uideret, quamuis uirtute praesta-

ret, aliquantum temporis exercitationi se dare uolebat, ut aduersario mox par fieret, hoc secum reputans, si minus quod uellet elaborare posset, uirtute tamen se fore superiorem. Credo equidem uoculam μὴ excidisse, quam si restituerimus sententiarum ordo melius, ni fallor, procedet. Sic sibi rem cogitasse Thucydidem ex uerbis, quae proxime sequuntur luculenter apparet. Id quo nos antecedunt, experientiam dico, nobis est superandum exercitatione. Multa enim exercitatione Lacedaemoniis opus fuisse disertis uerbis testatur Pericles 1, 142, 6. Sic igitur legendum καὶ ὅταν τὴν ἐπιστήμην μὴ ἐς τὸ ἴσον καταστήσωμεν, ... Fieri tamen potest ut hoc loco de euertendis moenibus cogitauerit; quod si reuera putandum est alio huius libri loco domicilium habeat necesse est. Legantur praeterea 1, 16 et 1, 77, 6.

Saepe alter alterum anteuertit: προκαταλαμβάνει. Eius generis translatio occurrit 3, 2, 3; 3, 3, 1; 1, 33, 3; 1, 36, 3; 5, 30, 1; 1, 57, 5; 5, 57, 1; 3, 46, 6. Leguntur haec 1, 37, 4 ἐν ᾧ μὲν ἂν κρατῶσι βιάζωνται, οὗ δ' ἂν λάθωσι πλέον ἔχωσιν, ἤν δέ πού τι προλάβωσιν ἀναισχυντῶσι. Maduigius Adu. crit. 307 correxit προλάβωσιν et suo iure credo; recte enim locum sic interpretatur: „aut ui, aut occulte, aut celeritate et praeoccupando agunt." Alioqui hoc loco nihil prorsus interesset inter πλέον ἔχειν et προσλαβεῖν et necesse esset pro λάθωσι legere βιάσωνται aut aliud eiusmodi; sic enim recte et ratione procederet oratio.

Sequitur ἀνταίρεσθαι. Uide scholiastam ad Soph. Aiac. 1085: κυρίως ἐπὶ τῶν ἀντιτασσομένων λέγεται χερσὶν αἰρομέναις ἢ ῥάβδοις ἢ τοιούτοις τισίν. Cfr. Herod. 7, 209, Dem. 2, 24, Plat. Euthyd. 272 A ὥστε μηδ' ἂν ἕνα αὐτοῖς οἷόν τ' εἶναι μηδ' ἀντᾶραι ne manus quidem tollere, qui locus hic summi est momenti. Apud Thucydidem occurrit 3, 32, 2 εἰ ἄνδρας διέφθειρεν οὔτε χεῖρας ἀνταιρομένους οὔτε πολεμίους et 1, 53, 2 quo loco haud iniuria Herwerdenus eiecit ὅπλα.

Alia luctatoris praesertim fraus est supplantare aemulum; *καταστρέφειν* inter alia est uocabulum, quo hac in re Graeci utuntur. Cfr. Lucillus Anth. Graec. 11, 163 *πάντες ἔφη νικᾶτε, μόνον μή τίς σε παρέλθῃ καί σε καταστρέψῃ καί σε παρατροχάσῃ.* Cfr. Cic. de off. 3, 10, 42. Thucydides transtulit 4, 65, 3; 3, 13, 6. Imprimis cauendum athletae ne qua parte pateat plagae neue prehendendi facultatem praebeat, quod qui cauere non potuit *λαβὴν* dicitur *ἐνδοῦναι* uel *παρέχειν* uel *παραδοῦναι.* Cfr. Ar. Lys. 671 *εἰ γὰρ ἐνδώσει τις ἡμῶν ταῖσδε κἂν σμικρὸν λαβήν.* Sensu translato occurrit 2, 87, 9 *καὶ οὐκ ἐνδώσομεν πρόφασιν οὐδενὶ κακῷ γενέσθαι.* Nec cuiquam occasionem praebebimus, ut sit ignauus, cfr. 5, 86 et 6, 86, 3 *καιρὸν λαμβάνειν*, occasionem oblatam arripere et quod proxime sequitur *οὐκ ἀνιέναι*, occasioni non deesse et 6, 11, 4 *τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα*, quae famae suae experimentum minime dederunt. Eodem spectare uidentur et haec 1, 37, 5 qui enim nullam prehendendi praebet facultatem et ideo uinci non potest dicitur *ἄληπτος* uel *ἀνεπίληπτος* 5, 17, 1. Cfr. Xen. Anab. 7, 6, 37; Soph. Antg. 406. Opponitur his *εὔληπτος* 6, 85, 2. Qui uincit athleta dicitur *περιγίγνεσθαι.* Cfr. 5, 86 *περιγίγνεσθαι τῷ δικαίῳ*, iure esse superiorem. Quae uerba ibidem leguntur *κριταί* et *ἐνδιδόναι* satis indicare uidentur Thucydidem hoc loco cogitasse palaestram. Cfr. 3. 82, 8.

Qui humi supinus cadit luctator dicitur *ἀναπίπτειν* (cfr. Eurip. fr. 22 *ἐξ ἐλπίδων πίπτοντας ὑπτίους ὁρῶ*). Apud Thucydidem transfertur 1, 70, 5 *κρατοῦντές τε*, sic Corinthii loquuntur Atheniensium gentem significantes, *τῶν ἐχθρῶν ἐπὶ πλεῖστον ἐξέρχονται καὶ νικωμένου ἐπ' ἐλάχιστον ἀναπίπτουσιν.* Quae ut melius intellegantur, conferenda sunt quae cecinit Soph. Trach. 159 *πολλοὺς ἀγῶνας ἐξιών* et 505 *τινὲς, πάμπληκτα παγκόνιτά τ' ἐξῆλθον ἄεθλ' ἀγώνων.* Antistrophe deinde ut fit haec uerba interpretatur: *ἴσαν ἐς μέσον ἱέμενοι λεχέων μόνα δ' εὔλεκτρος ἐν μέσῳ Κύπρις ῥαβδονομεῖ ξυνοῦσα.* Quis dubitet

sitne e palaestra sumpta translatio! Quod ipsum ἀναπίπτειν attinet — quo eodem sensu apud alios occurrit κεῖσθαι cfr. Aristoph. Nub. 126 — ad palaestram esse referendum luculenter ostendit Eurip. fragm. 22.

Aliud uocabulum ex palaestra desumptum est ἀκονιτί. Nempe solebant ad luctandum congressi, quo facilius inuncti comprehenderentur aut quo minus elaberentur mutuo se puluere et arena aspergere. Cfr. Sen. Epist. 88 Luctatores et totam oleo et luto constantem scientiam expello. Unde qui non decertauerat dicebatur ἀκονιτί decertasse, non minus quam is, contra quem nemo procedere auderet. Tropice autem idem ualet haec uox ac sine certamine. Sic. 4, 73, 3 καὶ ὥσπερ ἀκονιτὶ τὴν νίκην δικαίως ἀνατίθεσθαι, quem locum deprauatum Herwerdenus correxit ut potuit. Cfr. Xen. Ages. 6, 3; Aesch. 1, 64 et Hor. Epist. 1, 1, 51 cui spes, cui sit conditio dulcis sine puluere palmae. Est igitur uictoria sine puluere et labore. Ipse quoque Thucydides interpretatur ἀμαχεί. Uocula ὥσπερ translationem indicat, quod raro fit apud Thucydidem. Dem. de Cor. 29, 5 ταῦτα προεῖτο ἀκονιτί. Oppositum uidemus apud Sophoclem Trach. 505 παγκόνιτα.

In certaminibus praemia iis, qui uicerunt proponuntur: ἐν μέσῳ κεῖται τὰ ἆθλα. Cfr. Sall. Cat. 20 fortuna omnia ea uictoribus praemia posuit; sic passim apud alios. Sensu proprio apud Thucydidem 1, 6, 5 Ἆθλα γὰρ οἷς κεῖται ἀρετῆς μέγιστα, τοῖς δὲ καὶ ἄνδρες ἄριστοι πολιτεύουσιν. Sic Pericles in fine celebris illius orationis funebris 2, 46: praemia uirtutis ubi maxima proposita sunt, ibi etiam optimi uiri reipublicae operam dabunt. 3, 82, 8 Οἱ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσι προστάντες μετ' ὀνόματος ἑκάτεροι εὐπρεποῦς, πλήθους τε ἰσονομίας πολιτικῆς καὶ ἀριστοκρατίας σώφρονος προτιμήσει τὰ μὲν κοινὰ λόγῳ θεραπεύοντες ἆθλα ἐποιοῦντο κ. τ. λ. Egregie duarum partium in republica factiones Thucydides comparat cum athletis, qui id unum agunt uictoriae palma sibi ut decernatur. Rei-

publicae saluti in omnibus se parere simulant sed quam uiam munitent quodque iter affectent uidemus; rempublicam enim ipsam suorum certaminum praemium sibi proponunt et quocunque possunt modo certantes alii alios superare conantur. Sic 2, 87, 9 *οἱ ἀγαθοὶ τιμήσονται τοῖς προσήκουσιν ἄθλοις τῆς ἀρητῆς*, fortes praemiis, quibus ob uirtutem sunt digni, ornabuntur. Haec leguntur 3, 38, 2: *ἡ δὲ πόλις ἐκ τῶν τοιῶνδε ἀγώνων τὰ μὲν ἆθλα ἑτέροις δίδωσιν, αὐτὴ δὲ τοὺς κινδύνους ἀναφέρει.* Iacta alea esto, sic concionatur Cleon; non est cur iterum de Mytilenaeis feramus. Quicunque aliud ac paulo ante decreuimus nunc decernendum propositurus est aut facundia fretus speciosam edet contentionem ut nobis persuadeat perperam uos iudicasse aut lucri cupidus subtilitate et elegantia orationis ut uos pelliceat elaborabit. Urbs ipsa sibi pericula sumens eiusmodi certaminum aliis dat praemia. Hoc unum adhuc notandum, uerbum *ἀναφέρειν* nusquam sic occurrere, quare fortasse multo melius legitur *ἀποφέρειν*. Porro legatur 6, 80, 4 *καὶ τῆς νίκης οὐκ ἄλλον τινὰ ἆθλον ἢ τὸν τὴν νίκην παρασχόντα λήψονται.*

Eodem sensu occurrit *στέφανος* 2, 46, *ὠφέλιμον στέφανον τοῖσδέ τε καὶ τοῖς λειπομένοις τῶν τοιῶνδε ἀγώνων προσθεῖσα*, liberos eorum dum adulti erunt ciuitas publice educabit, utile praemium eiusmodi certaminum et his et iis qui supersunt proponens. Huc referenda sunt etiam quae sequuntur; dicitur *τὰ πρῶτα φέρεσθαι* qui uictor certaminis praemium aufert. Cfr. Her. 8, 104. Transtulit Thucydides 3, 56, 6 *καὶ τιμηθέντες ἐς τὰ πρῶτα*, licet etiam honores praecipui nobis habiti fuerint; et iisdem fere uerbis 3, 39, 2. Idem significant quae leguntur 1, 69, 1 *εἴπερ καὶ τὴν ἀξίωσιν τῆς ἀρετῆς ὡς ἐλευθερῶν τὴν Ἑλλάδα φέρεται.* Siquidem etiam uirtutis professione se ut Graecorum liberatorem celebrat. Ita Corinthii Lacedaemoniis in memoriam reuocant, quae insolenter iactauerant uerba, se Graeciam a seruitute uindicasse 1, 18, 1.

Iudices qui certantium quis uicerit cuique praemia sint danda decernunt graece dicuntur *βραβῆς*. Apud Thucydidem *ἀγωνοθετοῦντες* uocantur 3, 38, 4 *αἴτιοι δ' ὑμεῖς κακῶς ἀγωνοθετοῦντες*, quo loco translatum est id vocabulum. Cfr. 3, 37, 4 *κριταὶ δ' ὄντες ἀπὸ τοῦ ἴσου μᾶλλον ἢ ἀγωνισταὶ ὀρθοῦνται τὰ πλείω*, qui iudices aequi certamen decernunt potius quam ipsi certant, iis plurima prospere succedere dicit Cleon. Qui sint hi *κριταί* uerba quae antecedunt quaeque sequuntur satis ostendunt. Haec porro his uerbis adiuncta est notio: non de re ipsa certamen ineunt, sed ut quaestum faciant et priores agant partes.

Agmen claudant quae 1, 39, 1 inueniuntur: *καὶ φασὶ δὴ δίκῃ πρότερον ἐθελῆσαι κρίνεσθαι, ἥν γε οὐ τὸν προύχοντα καὶ ἐκ τοῦ ἀσφαλοῦς προκαλούμενον λέγειν τι δοκεῖν δεῖ, ἀλλὰ τὸν ἐς ἴσον τά τε ἔργα καὶ τοὺς λόγους πρὶν διαγωνίζεσθαι καθιστάντα.* Qui prouocat ad pugnam in eadem qua aduersarius sit conditione oportet. Ludo enim seria uertit qui cum superiorem (*προύχοντα*) se sentit atque in tuto (*ἐκ τοῦ ἀσφαλοῦς προκαλούμενον*) alteri pugnam ut secum ineat proponit. Certamen de quo agitur erit disceptatio iudiciaria, quae si iusta atque aequa sit futura, pares sint litigantes oportet. Hunc quem exposui credo uerborum esse sensum, et errare uidentur, qui ut Uigerus 98 sic explicare conantur: qui paria faciat dicta et facta, i. e. qui omnem uerborum fidem factis impleuerint, et alii sic interpretantes: qui facta uerbis aequat, aut sic: qui et factis et dictis pariter aequitatem retinet, et Haasius cuius enodatio haec est: qui aequo iudicio et res et uerba subicit. Porro quod ad uerba „*ἐς ἴσον καταστάντα*" 1, 121, 4 et quae ad hunc locum disseruimus conferantur.

A uita priuata ad publicam transeamus, primumque agamus de re militari.

---

§ 18. *Translationes a re militari sumptae.*

Si uis pacem para bellum. Quod cum omnibus ualeat po-lis tum praesertim antiquis, qui gloriae cupidi multisque epe inuisi aut bellum inferre aut bellum illatum defendere gebantur. Quid igitur mirum si multae inde translationes int profectae. Hostis hosti resistit. Translatio inde sumpta ccurrit 2, 87, 2 ξυνέβη δὲ καὶ τὸ ἀπὸ τῆς τύχης οὐκ ὀλίγα ἐναντιωθῆναι, accidit etiam ut multa fortuna sic uolente nobis aduersa fuerint. Cfr. 4, 85, 5; 5, 15, 2; 3, 97, 2; 8, 45, 4. Huc referendum ἀντιστῆναι. Sensu proprio 1, 93, 7. Cfr. Hom. Il. 16, 305. Sensu translato 5, 38, 4 ὡς δ' ἀντέστη τὸ πρᾶγμα (1, 71, 1 ἀντικαταστῆναι) 5, 4, 6 ubi πρᾶγμα dicitur significans artes occultas quibus reipublicae periti saepe utuntur. Cfr. πράσσειν.

Bellaturi saepe socios foedere sibi adiungunt. Translationes inde natae hae sunt 4, 10, 3 ξύμμαχον χώριον 3, 67, 2 ἀρεταὶ ἐπίκουροι. Cfr. 7, 61, 3 τὸ τῆς τύχης μεθ' ἡμῶν στῆναι, staturam a nobis fortunam sperantes. Interdum socii ultro se offerunt ut belli sint participes. Inde 1, 35, 2 αὕτη (ἡ δύναμις) πάρεστιν αὐτεπάγγελτος.

Ad pugnam saepe prouocatur; quod Graeci dicunt προκαλεῖσθαι. Cfr. Cic. Tusc. 4, 22 prouocare ad pugnam. Iam Homerus cecinit Il. 7, 218 et 285 καὶ πάντας προκαλέσσατο χάρμῃ. Cfr. Thuc. 5, 41, 2. Sensim latius huius uerbi uis natiua patere coepit; unde uariae ortae sunt translationes, ita ut incitandi, impellendi, sollicitandi, exigendique uis quasi primo loco posita uideretur. Uide 5, 88 quare colloquium, ᾧ προκαλεῖσθε τρόπῳ si placet, fiat. Cfr. 2, 72, 1 et 2; 4, 22, 3; 4, 19, 1; 5, 37, 5; 5, 43, 3.

De instruenda acie dicitur τάττεσθαι. Translatio occurrit 2, 63, 3 τὸ γὰρ ἄπραγμον οὐ σῴζεται μὴ μετὰ τοῦ δραστηρίου

τεταγμένον (cfr. 5, 102). Otii enim studium nisi in iisdem cum eo ordinibus agendi studium pugnat, seruari non potest. Porro 3, 56, 5 ἀντιτάξασθαι ἀρετὴν τῇ Ξέρξου δυνάμει. 2, 87, 5 πρὸς μὲν οὖν τὸ ἐμπειρότερον αὐτῶν τὸ τολμηρότερον ἀντιτάξασθε. Cfr. 3, 83, 1; 5, 55, 1; 3, 56, 5 ubi uirtus Graecorum aduersus Xerxis copias tamquam acies instruitur. Eodem referendum εὐτακτεῖν 8, 1, 4 omnia recte ac ordine peragere. Ξυστραφέντες dicuntur milites quorum stat acies compressis ordinibus quique sunt conglobati. 5, 10, 9 quo loco ὁπλῖται utrum sit retinendum an delendum ad id quod quaeritur nihil interest. Cfr. 4, 68, 6; 6, 91, 2; 2, 4, 3 et saepius legitur. Transfertur haec uox ita ut idem ualeat ac coniuncti, sociati. 6, 77, 1, οὐ ξυστραφέντες βουλόμεθα προθυμότερον δεῖξαι αὐτοῖς. 8, 54, 4 ὅπως ξυστραφέντες καὶ κοινῇ βουλευσάμενοι καταλύσουσι τὸν δῆμον cfr. 6, 91, 2. Κατὰ χώραν μένειν. „Suo loco manere, ordines seruare" proprio sensu aut dicitur de bellum gerentibus, qui cum ab armis aliqua datur quies, id paciscuntur, ut quae habent utrique tuto ac sine ullo dolo retineant, aut de militibus, qui locum quem ceperunt non relinquunt et in agmine uel in acie ordines seruant. Haec uis his uerbis inest 1, 28, 5; 3, 22, 6; 7, 50, 1 et saepius. Opponitur λιπεῖν χώραν 4, 126, 5. Translate utitur Thucydides 4, 76, 5 οὐ μενεῖν κατὰ χώραν τὰ πράγματα. Scholiasta interpretatur κατὰ τὴν οἰκείαν τάξιν, res in integro permansuras. Cfr. Herod. 6, 42, 2. Dem. Tim. 701 νόμους κατὰ χώραν μένειν ἐᾶν.

Dux peritus suos exercitus e firmo quodam loco in aciem ducere solet. Graece dicitur ὁρμητήριον sive ἀφορμή. Cfr. 1, 90, 3 et 1, 90, 2 ὁρμᾶσθαι ἐξ ἐχυροῦ ποθεν et 6, 50, 5; 4, 61, 7. Saepe ex hoc fonte suas translationes hausit Thucydides. 1, 144, 4 οὐκ ἀπὸ τοσῶνδε ὁρμώμενοι, maiores nostri quamuis a tantis nequaquam initiis orsi et profecti sunt. Ὁρμώμενος hanc igitur uim habet: „alicunde profectus" ita

ut facultatum notio sit adiuncta. Hic notandum uidetur saepius apud Thucydidem praepositionem „ἀπό" indicare unde quis proficiscatur ad aliquid peragendum. Cfr. 2, 65, 2; 2, 92, 1; 1, 74, 3; 2, 25, 2; 2, 41, 2; 3, 38, 4; 6, 19, 2. Καὶ ὁ Νικίας γνοὺς ὅτι ἀπὸ μὲν τῶν αὐτῶν λόγων οὐκ ἂν ἔτι ἀποτρέψειε. Nicias cum intellegeret Athenienses adeo ardere cupiditate educendi exercitum aduersus Siculos, ut ipsius belli pericula, uel tristissimis uerbis acta, eos ut consilium deponerent adducere non possent, aliam sibi uiam ineundam esse putabat, ut, quae ad hoc bellum usui essent atque necessaria uerbis exasperans, quod suadendo efficere non posset, terrore atque formidine consequeretur.

Ut enim saepe dux rei militaris peritus belli consilium mutat ex alioque loco nouos impetus instaurare parat ad repellendum hostem, sic Nicias rem agentem ut egerat Athenienses a consilio reicere se posse diffidit. Non sine causa, credo, subinde utitur uerbis ἐπιτάττειν ac μεθιστάναι, quippe cuius eadem semper menti obuersetur imago. 3, 45, 7 clarius etiam elucet imago: καὶ πολλῆς εὐηθείας, ὅστις οἴεται τῆς ἀνθρωπείας φύσεως ὁρμωμένης προθύμως τι πρᾶξαι ἀποτροπήν τινα ἔχειν ἢ νόμων ἰσχύι ἢ ἄλλῳ τῷ δεινῷ, magnae est stultitiae, si quis existimat, humana natura cum magno animi impetu si feratur ad aliquid agendum, se habere quo eam auertat aut legum ui aut aliquo alio terrore.

Huc referendum uidetur ἰσχυρόν i. e. propugnaculum, unde tuto ad pugnandum exercitus educi possit. Cfr. 8, 9, 3; 3, 6, 1; 4, 27, 2. Ad idem genus referendum ἱδρυθῆναι: locum firmum sibi capere unde quis facile impetus faciat, quoque res minus bene si gesserit tuto referat pedem. Sensu proprio occurrit 4, 42, 2 et 4, 44, 2; translato uero cum agitur de pestilentia 2, 49, 7 τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακόν. Cfr. 3, 72, 2. Fit ut milites ex suis praesidiis deturbentur. Imago inde sumpta obuersabatur Thucydidi haec

scribenti: ὥσπερ ὑμεῖς τῶν δικαίων λόγων ἡμᾶς εκβιβάσαντες, de iure quasi de firmo loco deturbari 5, 98. At uerbum ἐκβιβάζειν non nisi sensu proprio occurrit; quare libenter facio cum Classenio, qui cum multis codicibus legendum proponit ἐκβιάσαντες. Errat tamen Classenius de iis, quae leguntur 6, 64, 1 idem statuens atque decernens; reclamant enim quae inueniuntur 6, 65, 2 καὶ οἵ τε Ἀθηναῖοι ἅμ' ἕῳ ἐξέβαινον.

Saepe opus erit praeuertere hostem ne quid accidat grauius. Hoc loco — 6, 38, 3 — quod in re militari usuuenit translatum est in eos, qui in rebus politicis neque caueant uiros dolosos nec, ignavi ut sint, cum uideant insidias sibi parari priusquam graue quid accidat, impetum in eos facere cogitent, ἡμεῖς δὲ κακοί, πρὶν ἂν ἐν τῷ παθεῖν ὦμεν, προφυλάξασθαί τε καὶ αἰσθόμενοι ἐπεξελθεῖν.

Eruptionem facere graece dicitur ἐπεξιέναι cfr. 1, 64, 2 ὡς δ' οὐδεὶς ἐπεξῄειν ἐς μάχην cfr. 5, 9, 10. Translatum, ut uidimus supra 6, 38, 3, eandem uim habet ac ulcisci iniuriam illatam et expetere poenas ab aliquo; lege agere cum aliquo, 3, 38, 1 ὁ γὰρ παθὼν τῷ δράσαντι ἀμβλυτέρᾳ τῇ ὀργῇ ἐπεξέρχεται. 3, 40, 6 μάλιστα δ' οἱ μὴ ξὺν προφάσει τινὰ κακῶς ποιοῦντες ἐπεξέρχονται καὶ διολλύναι. Deinde uim experiendi obtinuit cfr. 5, 100 πολλὴ κακότης καὶ δειλία μὴ πᾶν πρὸ τοῦ δουλεῦσαι ἐπεξελθεῖν. Scholiasta sic interpretatur εἰς τέλος ἐργάσασθαι. Magnae nequitiae ac ignauiae esset si non prius omnia experiremur quam seruitutem acciperemus. Cfr. 1, 70, 7; 1, 22, 3; 4, 14, 3; 3, 26, 4; cfr. Cass. Dio 66, 19. Eodem fere sensu occurrit ἀμύνεσθαι ut patet ex 3, 38, 1. Translatio inuenitur 4, 63, 2 ἐξ ἴσου ἀρετῇ ἀμυνούμεθα. Est dictio prouerbialis; latini dicunt: lamberare aliquem suo ludo. Cfr. 1, 42, 1 τοῖς ὁμοίοις ἀμύνεσθαι.

Qui subsequitur ac instat hostis dicitur ἐγκεῖσθαι cfr. 8, 85, 3; 2, 59, 2; 5, 43, 2; 4, 22, 2 Κλέων δὴ πολὺς ἐνέκειτο. Cfr. Liu. 27, 4 grauis ipse instaret. Sall. Iug. 84 multus

atque ferox instare; cfr. *ἐπέκειτο ἡ ἀπορία* 2, 49, 5 et *ἡ νόσος ἐπέκειτο* 2, 59, 1. Eiusdam generis est *προσκεῖσθαι*. Suo sensu proprio occurrit 4, 33, 2. Transfertur ubi agitur de uento et nauibus simul aggredientibus 2, 84, 3 *τοῦ τε ἀνέμου τῶν τε πλοίων ἅμα προσκειμένων*. Cfr. 7, 18, 1 *ὁ Ἀλκιβιάδης προσκείμενος*, instans. Cfr. 2, 52, 3 *ὑπερβιαζομένου τοῦ κακοῦ* post quae mox sequuntur haec: *ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο*.

Aduersus telorum ictus miles scuto se defendit. Cfr. Xen. Anab. 1, 2, 17. Translatum est uerbum *προβάλλεσθαι* 1, 37, 4 *τὸ εὐπρεπὲς ἄσπονδον .... προβέβληνται*. 6, 92, 5 *τὸν ὑφ' ἁπάντων προβαλλόμενον λόγον* i. e. quod quisque quasi scutum praetendit. Cfr. 1, 73, 2 *τὰ δὲ Μηδικὰ καὶ ὅσα αὐτοὶ ξύνιστε, εἰ καὶ δι' ὄχλου μᾶλλον ἔσται ἀεὶ προβαλλόμενα, ἀνάγκη λέγειν*. Herwerdenus frustra olim *προβαλλομένους* tutatus postea Classenii emendationem recte recepisse uidetur, cfr. 5, 16, 1. Ex iis quae 3, 63, 2 leguntur satis superque apparet Thucydidem clypeum cogitasse, *ἣν (ξυμμαχίαν) αὐτοὶ μάλιστα προβάλλεσθε, ἡ ἱκανή γε ἦν ἡμᾶς τε ὑμῶν ἀποτρέπειν*: quo foedere uos ipsi defenditis, quodque uim nostram a uobis arcere (*ἀποτρέπειν*) poterat. Cfr. 2, 87, 3 *καὶ μὴ ἀπειρίαν τοῦ ἀνδρείου παρόντος προβαλλομένους*: imperitia quasi scuto se tueri. Proprie de hoste aggrediente dicitur *καταλαμβάνειν*, translate de malis et calamitatibus, quae homines inuadunt. Cfr. 4, 32 in fine; 2, 54, 3; 4, 20, 1. Eodem sensu dicitur *ἐπιλαμβάνειν* de morbo 2, 51, 6; de procella atque tempestate 4, 27, 1. Sic etiam de diuersis malis, ut de motu terrae, solis defectione, morbo etc. dicitur: *ταῦτα γὰρ πάντα μετὰ τοῦδε τοῦ πολέμου ἅμα ξυνεπέθετο*. Sic ut proprie de hostibus 3, 112, 3 et 3, 3, 3 utitur Thucydides *ἐπιπίπτειν* ita etiam metaphorice de rebus ingratis. 3, 82, 2 *ἐπέπεσε πολλὰ καὶ χαλεπά*, et 3, 87, 1 *ἡ νόσος ἐπέπεσε τοῖς Ἀθηναίοις*. Cfr. 7, 80, 3 *ἐμπίπτει ταραχή*. Hostes hostium aduentu saepe occupantur. Translatio inde est 4, 96, 8 *ἐπιλαβούσης νυκτὸς*

τὸ ἔργον, cum nox opus oppressisset. Impetum uiolentum qui facit in hostem dicitur προσπίπτειν. Sensu translato 8, 84, 2 dicuntur nautae θρασύτατα προσπεσόντες τὸν μισθὸν ἀπαιτεῖν. Hostes locum aliquem uel exercitum circumsidunt; περιιστάναι dicunt Graeci. Transfertur in metum et pauorem 8, 1, 2. cfr. 3, 54, 5 et in pericula 8, 2, 4. Cfr. Liuius 6, 2 cum tanti undique terrores circumstarent. Tac. Hist. 4, 79 circumsteterat Ciuilem et alius metus.

Ab ipsa pugna hae profectae sunt translationes: διαμάχεσθαι digladiari, contendere, defendere 3, 40, 2 ἐγὼ μὲν οὖν καὶ τότε καὶ νῦν διαμάχομαι et 3, 42, 2 τούς τε λόγους ὅστις διαμάχεται μὴ διδασκάλους τῶν πραγμάτων γίγνεσθαι. Cfr. Eur. Alc. 694; Xen. Anab. 5, 8, 23; Plat. Reipubl. II, 380 B; Dion. Halic. 2, 60. Eodem sensu 5, 46, 4 et 6, 74, 1 utitur Thucydides uerbo ἐπικρατεῖν.

Ob quod pugnam ineunt hostes id dicitur περιμάχητον 7, 84, 5. Transfertur in aquam, καὶ περιμάχητον ἦν τοῖς πολλοῖς. Cfr. Aristoph. Thesm. 319; Plat. de Leg. 815 οὐ περιμάχητος ἦν αὐτοῖς ἡ τροφή.

Ancipiti in proelio uersantur undique qui telis petuntur; ἀμφίβολοι dicuntur Graece. Cfr. 4, 36, 3 ubi uerba βαλλόμενοί τε ἀμφοτέρωθεν plane interpretantur quod mox sequitur uerbum ἀμφίβολοι. Cfr. 4, 32, 3. Transitus ut ita dicam a sensu proprio ad translatum inuenitur 2, 76, 3 ubi καὶ ἐν ἀμφιβόλῳ μᾶλλον γίγνεσθαι idem ualet ac in angustias deduci. Translatio ipsa occurrit 4, 18, 4 τἀγαθὰ ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο.

Translatio uerbi ἀναστέλλειν quoque ad rem militarem reuocanda uidetur. Proprie utitur Thucydides 3, 98, 1 τοξευόμενοι γὰρ οἱ Αἰτωλοὶ ἀνεστέλλοντο, Aetoli sagittis petiti reprimebantur, et 6, 70, 3 εἴ τινας προσδιώκοντας ἴδοιεν ἀνέστελλον. Si quos longius insequentes animaduertissent eos reprimebant; 6, 2, 5 τούς τε Σικανοὺς κρατοῦντες μάχῃ ἀνέστει-

λαν [1]) πρὸς τὰ μεσημβρινά. Cfr. Isocr. 12, 44 τοὺς βαρβάρους ἀνέστειλαν ἀπὸ τῆς θαλάσσης. Translatio inde petita haec est: αἴτιον δ' ἔγωγε νομίζω τοῦ τοιούτου, ᾗ ἰσχυρότατος ὁ σεισμὸς ἐγένετο, κατὰ τοῦτο ἀναστέλλειν τε τὴν θάλασσαν καὶ ἐξαπίνης πάλιν ἐπισπωμένης βιαιότερον τὴν ἐπίκλυσιν ποιεῖν 3, 89, 5. Hoc loco libri ἀποστέλλειν tradiderunt, at optimo iure Cobetus correxit ἀναστέλλειν. Huic enim emendationi summopere fauent loci de quibus supra egimus (3, 98, 1; 6, 70, 3) et magno est adiumento quod uerbum ἀναστέλλειν aptius congruit cum his: „ἡ θάλασσα ἐπανελθοῦσα ἀπὸ τῆς τότε οὔσης γῆς" et κύματος ἐπαναχώρησίς τις. — 'Επισπωμένην correxit Herwerdenus, quam correctionem (ἐπισπωμένης) Classenius, Stahlius aliique receperunt.

'Αποτέμνειν (cfr. ὑποτέμνειν), ut recte animaduertit Blümmer, est terminus technicus in rebus militaribus: intercludere aliquem auxiliis, copiis etc., quo sensu occurrit Xenoph. Hell. 6, 2, 7. Pol. 1, 84, 7.

Uerbum hoc translatum legitur Thuc. 8, 46, 4 τρίβειν οὖν ἐκέλευε πρῶτον ἀμφοτέρους καὶ ἀποτεμόμενον ὡς μέγιστα ἀπὸ τῶν Αθηναίων ἔπειτ' ἤδη τοὺς Πελοποννησίους ἀπαλλάξαι ἐκ τῆς χώρας, ut utrosque prius attereret et ubi quam plurima ab Atheniensibus resecuisset, tunc demum Peloponnesios ex sua regione dimitteret. Scholiasta interpretatur: στερήσαντα.

Qui hostibus non cedunt, sed quem ceperunt locum obtinent proprie dicuntur ἀντέχειν, 1, 11, 1; 8, 86, 7. Huic uerbo opponitur ἐνδιδόναι. Apud Homerum huic uerbo uis resistendi nondum est subiecta, obtendendi opponendique tantum uim habet. Ex hac natiua notione facili negotio paulatim illa altera exstitit ac postea per similitudinem multis modis est

---

1) Cum aptior hic esse uideatur, Poppo inquit, reprimendi quam amouendi notio Bekkeri coniecturam recepimus. Et nunc nemo fere lectionem traditam tueri conatur.

translata. Sic 6, 6, 2 Fortium est Syracusanis resistere, 1, 7, διὰ τὴν λῃστείαν ἐπὶ πολὺ ἀντισχοῦσαν. Propter assiduam latronum infestationem, 2, 49, 6 καὶ τὸ σῶμα.... ἀντεῖχε.... τῇ ταλαιπωρίᾳ. Cfr. Dem. Olynth. 2, 10 ubi δύναμιν βεβαίαν κτήσασθαι idem ualet ac ἀντέχειν. Hostium impetus saepe propulsatur. Graeci dicunt ἀπωθεῖν. Translationes inde sumptae sunt 1, 37, 1 ἀπωθεῖν τὴν τῶνδε χρείαν, Cfr. 1, 35, 4; 5, 22, 1 et 3, 39, 4 καὶ κακοπραγίαν, ὡς εἰπεῖν, ῥᾷον ἀπωθοῦνται, et, ut ita dicam, fortunam aduersam facilius propulsant, et 5, 45, 1. Interdum nimis qui ab hoste urgentur ac premuntur cedunt et in fugam se uertunt quaeruntque locum ubi tutos se fore credant. Cfr. 3, 22, 8 διαφυγεῖν καὶ τοῦ ἀσφαλοῦς ἀντιλαβέσθαι. Hoc modo transtulit Thucydides 1, 122, 4 οὐ γὰρ δὴ πεφευγότες ταῦτα ἐπὶ τὴν πλείστους δὴ βλάψασαν καταφρόνησιν κεχωρήκατε. Haec tria uitia, inquiunt Corinthii, imprudentiam, ignauiam et neglegentiam, non effugistis cum quae plurimos iam laesit, superbiam fuga petiueritis. Cfr. 2, 49, 6 morbum effugere διαφυγεῖν, 8, 1, 3 τὰ τῶν ξυμμάχων ἐς ἀσφάλειαν ποιεῖσθαι et oxymora illa uerba quae leguntur 4, 18, 4, οἵτινες τἀγαθὰ ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο, uiri sapientes habendi sunt illi, qui inter ambigua secundas res tuto posuerunt.

Ab oppugnanda urbe saepe petitur translatio. Sic 1, 134, 2 προσκαθεζόμενοί τε ἐξεπολιόρκησαν λιμῷ, eumque (Pausaniam) obsidentes fame expugnarunt. Sic Liuius etiam 23, 30 obsessos fames expugnauit. Tormentis aliisque operibus urbe quam obsidione cinxerunt, potiri conantur. Cfr. 4, 100, 1, μηχανὴν προσήγαγον, 2, 76, 4. Hac in re προσάγειν est uox usu recepta. Occurrit etiam προσφέρειν 2, 58, 1 et προσκομίζειν 4, 115, 2. Translatio occurrit 1, 99, 2 προσάγοντες τὰς ἀναγκάς. Athenienses molesti erant cum hominibus nec assuetis nec uolentibus aerumnas perpeti summam uim afferrent. Sic etiam Xen. Anab. 4, 1, 23 καὶ μαλὰ πολλῶν φόβων

